

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATI^NE_S

VOL. XXVII - N. 2

1995

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM COUNCIL
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1995

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Ex Allocutione Summi Pontificis ad quosdam Brasiliae episcopos sacra limina visitantes habita	183
Ex Allocutione Summi Pontificis ad quosdam Brasiliae episcopos occasione oblata visitationis ad limina	186
Ex Allocutione Summi Pontificis ad eos, qui Coetui Plenario Academiae Pro Vita interfuerunt, habita	190

ACTA CONSILII

Nota explicativa in casu particulari	192
Interpretationes authenticae (in unum collectae)	195
Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae	209
Pontificii Consilii publicationes	211

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

Responsum ad dubium circa doctrinam in Epist. Ap. «Ordinatio Sacerdotalis» traditam	212
---	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studii «De Institutis perfectionis» (Sessio XIII)	213
Coetus studii «De Institutis perfectionis» (Sessio XIV)	275
Notitiae	330
Opera a Consilii Bibliotheca recepta	331

II

COETUS STUDII
«DE INSTITUTIS PERFECTIONIS»

Sessio XIV

(dd. 4-9 decembris 1972 habita)

Diebus 4-9 decembris 1972, in Aula huius Pontificiae Commissionis, Consultores convenerunt Coetus studii «De Institutis perfectionis» sub moderamine Rev.mi P. Bidagor S. J., Secretarii Commissionis. Conventibus intererant Rev.mus P. Said O.P., qui munere Relatoris functus est; Exc.mi quattuor et Rev.mi sex Consultores, atque Rev.mus unus qui invitatus est tanquam Collaborator, repraesentans Societates vitae communis, quae non sunt Instituta missionaria. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis. Aberant, quia impediti, Exc.mus unus, Rev.mi quattuor unus Consultores.

In initio sessionis Rev.mus Secretarius adstantibus salutem dicit gratiasque refert, atque rogat Rev.mum Relatorem ut materiam exponat de qua agendum est in praesentibus adunationibus Coetus plenarii, nempe: de Titulo IIº secundae partis Schematis seu «De institutis religiosis operibus apostolatus deditis».

Rev.mus Relator per summa capita exponit quae habentur in pp. 1-5 Relationis introductivae (cf. Adnexum I), atque quaerit sententias generales Consultorum quoad totum schema a parvo Coetu propositum.

Schema in genere placet quoad substantiam. Attamen Exc.mus primus Consultor dubitat circa possibilitatem comprehendendi in his paucis canonibus omnia quae pertractanda esse videntur, ex. gr. de rationibus Episcopos inter et Moderatores religiosos, de diversis formis apostolatus religiosi, etc.

His dictis accedunt Exc.mus secundus et Rev.mus tertius Consultores, qui sentiunt opportunum esse ut aliquae normae addantur de rationibus inter Episcopos et instituta religiosa quoad apostolatum, ut fecit Concilium in Decreto *Christus Dominus* et in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*: nam eae leges post novum Codicem promulgatum probabiliter revocabuntur. Immo expedire videtur ut aliqua principia pro conventionibus inter Episcopos et Superiores religiosos stabiliantur, nisi forte alibi dentur, ex.gr. ubi de Episcopis.

Exc.mus secundus Consultor laudat praeterea ut explicite affirmetur religiosos sacerdotes praeprimis incumbere debere in ministeria specifici sacerdotalia, minime autem in opera saecularia, uti hodie saepe evenit.

Exc.mus quartus Consultor censet aliquid dicendum esse de rationibus clerum religiosum inter et clerum saecularem, de unitate presbyterii dioecesani deque participatione sacerdotum religiosorum in Consilio presbyterali.

Quaerit Rev.mus quintus Consultor utrum conventiones de quibus sub can. 4 facienda sint necne pro omnibus operibus apostolatus.

Quoad naturam et finem Institutorum, de quibus sub cann. 1-2 praesertim agitur, animadvertisit Rev.mus sextus Consultor rem pacificam non esse, quia quandoque singulae provinciae, immo et singuli sodales dicunt se propriam vitae rationem propriamque activitatem ordinare iuxta naturam instituti, quae tandem nescitur cuius indolis revera sit. His dictis alii accedunt Consultores, inter quos Exc.mus secundus qui memorat conamina imitationis Institutorum saecularium ex parte quorundam religiosorum sub specie quoque renovationis et redditus ad praesumptum spiritum fundatoris.

Rev.mus tertius Consultor quaerit ut canones praeliminares ponantur (de natura votorum, de vita communi, etc.), qui omnibus institutis religiosis convenient.

Rev.mi septimus, octavus et nonus Consultores approbant schema uti iacet, sed quaerit Rev.mus octavus Consultor ut ex cann. 5 et 11 unus tantum fiat canon.

His omnibus quae prolata sunt Rev.mus Relator, sequentia respondet:

a) Iuxta principium subsidiarietatis, in iure condendo magnum momentum habere debet ius particulare; quapropter non nimis dicendum videtur nostris in canonibus, sed tantum ponendae sunt normae quae omnibus convenient institutis.

b) Principia de rationibus inter Episcopos et religiosos, quae a Concilio data sunt, evidenter emanent; ex his principiis fundamentalia in nostris canonibus recoluntur, videlicet: necessitas cooperandi in bonum commune Ecclesiae et procedendi collatis consiliis modo continuo et harmonico, necessitas quoque ut ad haec omnia peragenda cum Superiores religiosi tum Episcopi charismata propria singulorum institutorum accurate servent; si huiusmodi principia fundamentalia semper pree oculis habeantur quaestiones concretae facile in praxi solventur, quod facilius obtineri etiam potest per conventiones de quibus sub can. 4.

c) De participatione religiosorum in Consiliis presbyteralibus aliisque quaestionibus huius generis iam sermo fit in canonibus «De Sacra Hierarchy».

d) Quoad interpretationem naturae et finis uniuscuiusque instituti, quae privato modo fieri non potest, vitandi quidem sunt abusus.

e) Canones praeliminares specifici pro Institutis religiosis iam parati sunt a parvo coetu, atque Consultoribus tradentur ante finem huius sessionis studii.

Quaerit denique Exc.mus primus Consultor an in tribus Articulis huius Tituli II opportunum sit adhibere verba «canonicalia», «conventionalia», et «apostolica», quae forsan ansam praebere possunt aequivocis interpretationibus.

Respondet tamen Rev.mus Relator de hac quaestione multum deliberatum fuisse in alia praecedenti Coetus sessione; probatum est ut haec verba adhibeantur quia sunt adiectiva quae bene definit indolem propriam harum specierum institutorum.

Nulla alia fit animadversio ideoque transitus fit ad examen singulorum canonum huius Tituli II.

Can. primus

Textus qui proponitur est sequens:

«§ 1. In Institutis religiosis operibus apostolatus deditis, actio apostolica ad ipsam eorumdem naturam (vitae) pertinet. Proinde, tota vita sodalium spiritu apostolico imbuatur, tota vero actio apostolica spiritu Instituti informetur.

§ 2. Actio apostolica ex intima cum Deo unione semper procedat oportet et sodales illam p[ro]ae omnibus colant».

Quoad § 1 animadvertisit Exc.mus decimus Consultor verba «tota vita sodalium spiritu apostolico imbuatur» pro omnibus religiosis valere, quia revera spiritus apostolicus omnia instituta animare debet.

Respondet Rev.mus Relator hoc verum esse, sed instituta religiosa de quibus hic agitur maiorem necessitatem habent, ut de ipsis spiritus apostolicus praedicetur; haec praeterea fuit mens Patrum Concilii Vaticanii II.

Exc.mus decimus Consultor non insistit.

Exc.mus secundus et Rev.mus tertius Consultores exoptarent ut loco «ad ipsam eorumdem naturam pertinet» diceretur «ad ipsam eorundem

vitam pertinet», etiam quia uti animadvertisit Rev.mus sextus Consultor non tantum actio apostolica sed alia quoque elementa ad naturam horum institutorum pertinent. Alii tamen Consultores, inter quos Rev.mi Relator et octavus Consultor, quaerunt ut verbum «naturam» servetur: haec enim videtur esse mens Concilii; praeterea unitas optime datur in textu quia postea dicitur «tota vita» et «tota actio».

Quaedam additiones ab Exc.mo primo et a Rev.mo sexto Consultori bus proponuntur, nempe: «In Institutis religiosis operibus apostolatus de ditis, *sive clericalibus sive laicalibus...*», atque «tota vita sodalium spiritu apostolico *uniuersiusque instituti proprio imbuatur*». Animadvertisit tamen Rev.mus Relator has additiones non esse necessarias, quia tales specificatio nes subintelliguntur in textu.

Quaerit denique Rev.mus tertius Consultor, et placet, ut deleatur in lin. 1 verbum «religiosis», quia non videtur necessarium.

Quoad § 2, notat Exc.mus decimus Consultor verbum «illam» esse ae quivocum, quapropter oporteret aliam expressionem adhibere. Huic animadversioni accedit Exc.mus primus Consultor qui sequentem proponit textum emendatum: «... et sodales *eamdem maxime* (vel *imprimis*) colant ac *foveant*».

Rev.mo quinto Consultori non placet expressio «ex intima cum Deo unione» quia, etsi vera sit, continet autem elementum asceticum non canonicum; proponit ergo Rev.mus ut dicatur «ad mentem can. 6 de obligationibus sodalium Institutorum perfectionis». E contra Rev.mus nonus Consultor hanc proponit additionem: «... ex intima cum Deo unione, *quam sodales ut normam fundamentalem actuositatis habeant*».

Censet Exc.mus quartus Consultor § 3 hoc in canone addendam esse sequentis tenoris: «Actio apostolica nomine et mandato Ecclesiae fit atque communione ecclesiali fulgere debet». Agitur enim — notat Exc.mus — de apostolatu publico hierarchice ordinato, non de apostolatu simpliciter privato.

Obiicit Rev.mus octavus Consultor apostolatum institutorum fieri non tantum iuxta mandatum Ecclesiae, sed etiam iuxta motiones Spiritus Sancti; Ecclesia enim recognoscit charismata, eadem vero non tribuit. Ad hanc firmandam sententiam Rev.mus memorat sequentia ex n. 3 Decr. de apostolatu laicorum desumpta: «Per baptismum enim corpori Christi mystico inseriti, per Confirmationem virtute Spiritus Sancti roborati, (laici) ad apostolatum ab ipso Domino deputantur».

Respondet tamen Exc.mus quartus Consultor, cui accedit Rev.mus Relator, hoc esse quidem verum deque omnibus fidelibus ius ad apostolatum praedicari posse, sed hoc in casu, propter naturam ipsam Institutorum vitae

apostolicae eorumque erectionem et ordinationem ex parte Hierarchiae, ipsorum actionem apostolicam nomine et mandato Ecclesiae exerceri.

His omnibus prae oculis habitis, Rev.mus Relator sequentem proponit novum textum can. 1:

«§ 1. In Institutis operibus apostolatus deditis, actio apostolica ad ipsam eorumdem naturam pertinet. Proinde, tota vita sodalium spiritu apostolico imbuatur, tota vero actio apostolica spiritu Instituti informetur.

§ 2. Actio apostolica semper procedat ex intima cum Deo unione, quam sodales prae omnibus colant.

§ 3. Actio apostolica nomine et mandato Ecclesiae fit atque communiōne ecclesiā fulgeat».

Suffragationi submittitur § 1. En exitus suffragationis:

Placet: 10. Placet i.m.: 2 (secundus, tertius). Non placet: 0.

Modus propositus ab Exc.mo secundo («eorumdem *vitam*») ceteris Consultoribus non placet.

Modus Rev.mi tertii Consultoris («actio apostolica *indoli* Instituti informetur») duobus tantum Consultoribus placet, ergo non recipitur.

Suffragatur § 2 et sequens habetur exitus:

Placet: 6. Placet i.m.: 5 (decimus, quartus, secundus, octavus, nonus). Non placet: 1.

Modus ab Exc.mo decimo Consultore propositus ita sonat: «Actio apostolica ex intima cum Deo unione semper procedat, *eamdemque confirmet ac foveat*».

En modi suffragatio:

Placet: 5. Non placet: 4. Abstinentes: 3. Modus ergo a maioritate probatur.

Modus propositus ab Exc.mo quarto Consultore hic est: «Actio apostolica intima cum Deo unione *semper coniugatur*, quam sodales prae omnibus colant».

Sequens habetur suffragationis exitus:

Placet: 1. Non placet: 6. Abstinentes: 6. Modus ergo non admittitur.

Modus propositus a Rev.mo octavo Consultore ita sonat: «Actio apostolica *in* intima cum Deo *radicetur unione*, quam sodales prae omnibus colant».

Sequens est suffragationis exitus:

Placet: 6. Non placet: 2. Abstinentes: 4. Modus probatur sed praevalet modus ab Exc.mo decimo Consultore propositus.

Exc.mus secundus et Rev.mus tertius Consultores proprios modos amplius non sustinent, et accedunt ad formulam § 2 uti iacet in modo Exc.mi decimi Consultoris.

Quoad § 3 omnes Consultores dicunt se eam substantialiter recipere quoad principium nempe in textu huius novae paragraphi expositum.

Rev.mi sextus et octavus Consultores dubitant utrum necessaria sit necne haec § 3, attentis quae postea dicuntur in cann. 2 et 3, qui canones forsitan compleri possunt.

Alii autem Consultores, inter quos Exc.mi decimus, quartus, secundus et primus, censem hanc novam paragraphum necessariam esse, etiam quia minueretur vis huius principii si recolitur in cann. 2-3. Alii denique Consultores (primus, secundus et nonus) parvas emendationes proponunt, claritatis causa, in textu § 1.

His omnibus attentis, Rev.mus Relator quaerit utrum § 3 addenda sit necne.

Exitus suffragationis est:

Placet: 10. Non placet: 2.

Suffragationi deinde submittitur sequens formula: « § 3. Actio apostolica nomine et mandato Ecclesiae exercenda in communione ecclesiali peragatur ».

Ex exitus suffragationis:

Placet: 10. Non placet: 0.

Textus ergo canonis 1 uti definitive probatus est ita sonat:

§ 1. In Institutis operibus apostolatus deditis, actio apostolica ad ipsam eorumdem naturam pertinet. Proinde, tota vita sodalium spiritu apostolico imbuatur, tota vero actio apostolica spiritu Instituti informetur.

§ 2. Actio apostolica ex intima cum Deo unione procedat eamdemque confirmet ac foveat.

§ 3. Actio apostolica nomine et mandato Ecclesiae exercenda in communione ecclesiali peragatur.

Can. secundus

Hic est textus propositus:

«Opera propria Institutorum fideliter retineantur atque temporum et locorum necessitatibus accommodentur, novis etiam mediis adhibitis».

Exc.mi primus et secundus Consultores notant verba «novis etiam mediis adhibitis» non esse sat clara. Exc.mus primus Consultor hunc proponit textum emendatum: «... temporum et locorum necessitatibus *legitime* accommodentur, *'his quoque adhibitis mediis quae exorientes apostolatus necessitates requirant'*».

Aliae quoque emendationes eiusdem generis proponuntur, nempe: «... novis etiam mediis *prudenter* adhibitis» (quartus); «... novis *opportunis* etiam mediis adhibitis» (septimus); «... accommodentur, *secundum spiritum et finem uniuscuiusque instituti*, novis...» (undecimus).

Cum textus propositus omnibus quoad substantiam placeat, Rev.mus Relator sequentem formulam emendatam suffragationi submittit:

«Opera propria Institutorum fideliter retineantur atque temporum et locorum necessitatibus accommodentur, novis *opportunitis* etiam mediis adhibitis».

Hic textus unanimiter approbatur.

Can. tertius

Formula quae proponitur ita sonat:

«§ 1. Vi propriae vocationis, Instituta operibus apostolatus dedita eorumque sodales ad bonum Ecclesiae adlaborare tenentur et Episcopos adiuvare sub ductu priorum moderatorum.

§ 2. Episcopi et moderatores collatis inter se consiliis procedant in ordinandis operibus apostolatus quae a sodalibus exercentur et semper adamussim attendant ut hi omnes religiosae observantiae fideles permaneant».

Animadvertisit Exc.mus decimus Consultor verba «collatis inte se consiliis» (§ 2) claritatis ac certitudinis causa enucleanda esse, quia eae relationes instaurandae videntur sive inter Episcopos et Moderatores religiosos ut singulos, sive etiam inter Conferentias Episcopales et Uniones Moderatorum maiorum Institutorum uniuscuiusque nationis.

Huic propositioni accedit Exc.mus quartus Consultor.

Contrarium censem alii Consultores, inter quos Rev.mi septimus et octavus. Quaestio enim de Conferentiis Episcopalis alibi tractanda est in CIC; hic sufficeret ut mentio in fontibus canonum fiat de documentis Concilii Vaticani II, sed in ipso textu canonum aptius esset nihil statuere de relationibus inter Conferentias Episcopales et memoratas Uniones religiosorum, etiam quia haec quaestio adhuc est in evoluzione. Praeterea prae oculis habendum est hoc factum: multi sunt Episcopi qui nunc deplorant amissionem fere totalem propriae authonomiae ex concentratione functionum gubernii per institutionem Conferentiarum exorta, quae realitas etiam habetur mutatis mutandis in ipsis Conferentiis vel Unionibus Moderatorum religiosorum. In praxi, sive Episcopi sive Moderatores religiosi malunt per relationes directas singulas res ordinare.

Exc.mus decimus Consultor, etiamsi has admittat difficultates, insistit in sua praedicta propositione, quia si nihil dicitur de relationibus inter Conferentias Episcopales et Uniones religiosorum Moderatorum, ipsae Conferentiae planificare possunt apostolatum respectivae dictionis, Moderatoribus religiosis non auditis.

Fit adhuc parva discussio de hac re cuius in fine omnibus placet, proponente Rev.mo septimo Consultore, ut textus ita emendetur: «Episcopi et moderatores, *sive singuli sive in coetibus coadunati*, collatis inter se consiliis...».

Exc.mus quartus Consultor proponit, et accipitur, sequentem mutationem ordinis verborum in § 1: «Vi propriae vocationis, Instituta operibus apostolatus dedita eorumque sodales, sub ductu priorum moderatorum, ad bonum Ecclesiae adlaborare et Episcopos adiuvare tenentur».

Denique Exc.mus decimus et Rev.mus septimus Consultores propoununt ut deleantur ultima verba § 2 «et semper... permaneant», quia inutilia videntur.

Etiam haec propositio ab omnibus recipitur.

Textus ergo canonis 3, qui suffragationi submittitur et unanimiter probatur, ita sonat:

§ 1. Vi propriae vocationis, Instituta operibus apostolatus dedita eorumque sodales, sub ductu priorum Moderatorum, ad bonum Ecclesiae adlaborare et Episcopos adiuvare tenentur.

§ 2. Episcopi et Moderatores, sive singuli sive in coetibus coadunati, collatis inter se consiliis, procedant in ordinandis operibus apostolatus quae a sodalibus exercentur.

Can. quartus

Hic est textus qui proponitur:

«*Opera propria apostolica institutum ius habet exercendi in suis ecclesiis et domibus. Pro opportunitate, Episcopi et Moderatores particulares conventiones ad collaborationem apostolicam ordinandam et fovendam inire possunt.*».

Exc.mus secundus et Rev.mus tertius Consultores censem normas esse nimis generales, dum oporteret aptius determinare quaenam sint iura quae hac in re habent sive Episcopi sive religiosi.

Respondent tamen Rev.mi Relator et octavus Consultor hoc non esse necessarium si probatur idea conventionum quae proponitur. Praeterea, iuxta tertium principium generale in Relatione introductiva memoratum, oportet ut nova legislatio CIC maiore flexibilitate gaudeat. Attendenda denique sunt normae particulares, ex.gr. quoad paroecias, scholas etc., quae in aliis Codicis locis inveniri debent.

Fit quoque parva discussio circa conventiones inter Episcopos et Instituta ad collaborationem apostolicam ordinandam. Rev.mus quintus Consultor dubitat de opportunitate huius normae, dum Rev.mus sextus Consultor laudat ipsius utilitatem. Rev.mus Relator animadvertisit hic non agi de obligatione ineundi conventiones, sed hoc potius commendatur pro opportunitate. Attamen Exc.mus decimus Consultor notat conventiones revera imponi a Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, II, n. 30 § 1 quando agitur de specialibus operibus apostolatus quae ab Episcopis Institutis committuntur vel concreduntur. Animadvertisit denique septimus Consultor hoc quidem esse verum pro operibus dioecesanis quae ab Episcopis Institutis concreduntur, sed cavendum est ne conventiones imponantur etiam quoad opera propria Institutorum: Episcopi enim possunt vel minus Institutata in sua dioecesi recipere, si tamen Institutum recipiunt simul admittunt modo implicito et generali ut ipsum propria opera apostolica peragat. His dictis alii accedunt Consultores, qui approbant propositionem Rev.mi Relatoris, ad cuius mentem hae duae diversae res in distinctis paragraphis pertractari debent. En novus textus canonis a Relatore propositus:

«**§ 1.** Institutata ius habent opera propria exercendi servatis de iure servandis.

§ 2. Conventiones particulares, ad collaborationem apostolicam ordinandam et fovendam, Episcopi et Moderatores pro opportunitate ineant».

Facta suffragatione hic textus unanimiter probatur.

Can. quintus

Formula quae proponitur est sequens:

«Instituta laicalia, quae veram et completam religiosam professionem consiliorum evangelicorum ab Ecclesia recognitam secumferunt, multiformi apostolatu Sponsam Christi condecorant hominibusque diversissima praestant servitia».

Exc.mi quartus et secundus aliique Consultores censem hunc canonem necessarium non esse; sufficeret si quaedam ex dictis in hac formula sumantur in can. 11, ubi agitur de Institutis religiosis laicalibus, et quidem modo specifico. Contrariam sententiam tenent Exc.mus primus et Rev.mus quintus Consultores, ad quorum mentem utile esset ut indicetur huismodi quoque Instituta veram et completam professionem consiliorum evangelicorum habere.

Animadvertisunt tamen Rev.mi septimus et octavus, quibus et alii Consultores accedunt, omnia Instituta perfectionis veram et completam professionem consiliorum evangelicorum secumferre; quapropter necessarium non videtur ut haec idea repetatur in can. 5.

Facta suffragatione, omnibus Consultoribus placet ut hic canon debeat.

Antequam transitus fiat ad examen canonum qui pro singulis speciebus Institutorum religiosorum confecti sunt, Rev.mus Secretarius quaerit an Consultores animadversiones faciendas habeant in Relationem conclusivam praecedentis Coetus sessionis. Nulla animadversio fit, ideoque suffragatione facta, Relatio conclusiva XIII^{ae} sessionis unanimiter approbatur.

Can. quintus (qui est sextus in Relatione introductory)

§ 1. Instituta canonicalia sollemniori praecipue cultu laudem divinam agunt atque opera apostolica exercent sacerdotale officium praesertim in paroeciis perficiendo.

§ 2. Ad vitam regularem fovendam eis pro posse paroeciae concredantur quae inter se vel domui principali viciniores sint.

§ 3. Congregari possunt sub eodem Abate Praeside plura Capitula canonicorum regularium sui iuris et confoederari sub eodem Abate Primate plura eiusdem generis canonicorum Instituta.

Proponente Rev.mo nono Consultore, omnibus placet ut ex §§ 1-2 fiat can. 5, dum § 3 sit can. 6: agitur enim de materiis aliquantulum diversis.

Ad § 1: Censet Rev.mus septimus Consultor textum ita emendari posse claritatis causa: «... atque *operibus apostolicis incumbunt* sacerdotale officium praesertim in paroeciis *exercendo*».

Placet propositio.

Ad § 2: Haec proponitur emendatio ab Exc.mo primo Consultore: «*Ad magis* vitam regularem fovendam...». Respondet tamen Rev.mus octavus Consultor quod ita minueretur vis canonis, quia haec vita regularis dum pastorale officium perficitur est elementum fundamentale horum Institutorum.

Exc.mus secundus Consultor proponit ut dicatur: «*Ad vitam commune* fovendam...». Respondet tamen Rev.mus Relator vitam regularem iam includere natura sua vitam communem.

Rev.mus tertius Consultor quaerit ut, sicut factum est pro monachis, aliquid simile hic dicatur de domibus sui iuris quorum moderator est moderator maior. Propositio tamen non accipitur, quia non omnes domus Institutorum canonicalium sunt sui iuris.

Nulla alia fit animadversio. Quapropter textus § 2, facta suffragatione, ab omnibus probatur.

Textus ergo canonis 5 ita sonat:

§ 1. Instituta canonicalia sollemniori cultu laudem divinam agunt atque *operibus apostolicis* incumbunt sacerdotale officium praesertim in paroeciis exercendo.

§ 2. Ad vitam regularem fovendam eis pro posse paroeciae concredantur quae inter se vel domui principali viciniores sint.

Can. sextus (qui est § 3 can. 6 in Relatione introductory)

Haec est formula proposita:

«Congreagari possunt sub eodem Abate Praeside plura Capitula canonicorum regularium sui iuris et confoederari sub eodem Abate Primate plura eiusdem generis canonicorum Instituta».

Ad mentem Rev.mi tertii Consultoris deletur verbum «Abate» in lin. 1, quia Praeses non semper vocatur «Abas» etsi habeat iura Abatis.

Proponentibus Rev.mis septimo et nono Consultoribus, ita emendatur textus in lin. 2, claritatis causa: «... sui iuris; confoederari *autem possunt* sub eodem Abate Primate...».

Rev.mus Relator suffragationi submittit sequentem quaestionem: utrum ad confoederationes facientes requiratur necne beneplacitum apo-

stolicum, uti statutum est pro Institutis monasticis. En exitus suffragationis:

Affirmative: 6. Negative: 2 (sextus, octavus). Abstinentes: 2 (primus, undecimus).

His omnibus p[re] oculis habitis, Rev.mus Relator hanc formulam emendatam canonis suffragationi proponit:

«Congregari possunt sub eodem Praeside plura Capitula canonicorum regularium sui iuris; confoederari autem possunt sub eodem Abate primate plura eiusdem generis canonicorum Instituta cum beneplacito apostolico».

Exitus suffragationis est:

Placet: 8. Non placet: 1 (octavus). Placet i.m.: 1 (tertius).

Rev.mo octavo Consultori textus non placet, quia necessarium non censet ut requiratur beneplacitum Sanctae Sedis.

Modus qui a Rev.mo tertio Consultore proponitur est sequens: «sub eodem Primate» (lin. 2), dempto verbo «Abate». Hic modus a maioritate Consultorum recipitur, ideoque canon probatur uti suffragatus est, cum praedicta emendatione a tertio Consultore proposita.

Can. septimus

Textus propositus ita sonat:

«§ 1. Institutum conventuale vitam apostolicam intime consociat laudi divinae et regularibus observantiis.

§ 2. Vitam fraternalm in communi sodales agere tenentur praesertim in celebratione Eucharistica et liturgiae horarum, ut communi studio et sollicitudine ministerium apostolicum prosequantur».

Ponitur imprimis quaestio de paupertate Institutorum conventionalium, quae olim Ordines mendicantes vocabantur. De mendicatione sermo amplius fieri non debet, sed oporteret ut iam in hoc canone aliquid dicatur de speciali austeritate vitae quae in his Institutis manifestari debet (Exc.mus quartus et Rev.mus octavus); hoc esset quoque utile, sive quia tunc deleri poterit § 1 can. 8, ubi generice agitur de paupertate, quod valet pro omnibus Institutis (Rev.mus septimus), sive quia in luce poneretur testimonium austeritatis vitae quae maxime convenit Institutis conventionalibus (Rev.mi quintus et Relator), sive denique quia tunc aptius vitari possent ideae et

experientiae falsae quae hodie habentur circa paupertatem (Exc.mus quartus).

His attentis, Rev.mus septimus Consultor sequentem textum emendatum § 1 proponit, qui suffragatione unanimiter recipitur:

«Instituta conventualia laudi divinae et regularibus observantii vitam apostolicam intime consociant atque peculiare austeritatis vitae testimonium praestant».

Ad § 2, Rev.mi Secretarius et octavus Consultor notant melius esse ut verba redigantur modo indicativo, uti factum est in § 1. Propositio placet.

Exc.mus secundus Consultor hanc emendationem textus proponit, claritatis causa: «... et liturgiae horarum, *necnon ministerium apostolicum* communi studio...». Etiam haec propositio ab aliis Consultoribus recipitur.

Textus ergo § 2 ita suffragationi submittitur et probatur ab omnibus:

«Vitam fraternalm in communi sodales agunt, praesertim in celebracione Eucharistiae et liturgiae horarum, necnon ministerium apostolicum communi studio et sollicitudine prosequuntur».

Can. octavus

In Relatione introductiva ita textus propositus erat:

«§ 1. Paupertatem his Institutis consentaneam (quae notam peculiarum eis propriam constituit) etiam modo collectivo sodales exerceant (obseruent).

§ 2. Speciali pastorali cura adiuvent Instituta religiosa sibi aggregata aut consociata ut primaevi et genuino spiritu illius familiae imbuantur et in eo perseverent.

§ 3. Eumdem spiritum Instituti sodales per proprium apostolatum et praesertim per suas associationes inter christifideles diffundant».

Uti iam supra dictum est, § 1 huius canonis deletur, quia de speciali testimonio austeritatis vitae sermo fit in canone praecedenti. Praetera de paupertate in genere canon communis pro omnibus Institutis religiosis redigi debet.

Ad § 2 (nunc § 1). Simplicitatis causa, Rev.mus octavus Consultor hanc breviorem redactionem proponit: «Speciali cura adiuvent Instituta sibi aggregata aut consociata ut genuino spiritu suae familiae imbuantur». Emendatio recipitur atque placet, proponente Rev.mo septimo Consultore,

ut dicatur tantum «Instituta consociata», quia ita comprehenduntur quoque sub uno verbo Instituta aggregata.

Ad § 3 (nunc § 2). Rev.mus octavus Consultor proponit et accipitur, ut textus ita redigatur: «Per proprium apostolatum sodales spiritum Instituti inter christifideles diffundant praesertim per suas associationes».

His omnibus attentis, Rev.mus Relator sequentem textum suffragationi submittit:

§ 1. Speciali cura adiuvent Instituta sibi consociata ut genuino spiritu suae familiae imbuantur.

§ 2. Per proprium apostolatum sodales spiritum Instituti inter christifideles diffundant praesertim per suas associationes.

Hic textus omnibus Consultoribus placet.

Can. nonus

Formula quae proponitur ita sonat:

«§ 1. Instituta apostolica illa vocantur, quae, sive clericalia sint sive laicalia, ad opera apostolica exercenda primarie condita sunt. Regularibus observantiis derelictis, propria servant ministeria atque totam suam vivendi formam (rationem) ita ordinant (componant) ut vitam apostolatui integre deditam agere valeant.

§ 2. Unitas, quae mobilitatem apostolicam et sodalium disponibilitatem fovet, praeprimis servetur ut sodales omnes Instituto aggregati (in Institutum cooptati) ad omne opus peragendum expediti maneant sub ductu et regimine Moderatoris Supremi Instituti».

Ad § 1. Rev.mus Relator hanc proponit emendationem in initio textus: «Instituta apostolica ad opera apostolica exercenda primario condita...». Ita res non definitur sed describitur et textus modo indicativo exaratur sicut factum est pro Institutis conventionalibus.

Exc.mus primus Consultor quaerit ut loco «ad opera apostolica exercenda» dicatur «ad apostolatus opera exercenda», dum Rev.mus septimus Consultor censem aptius dicendum esse «ad propria ministeria exercenda».

Fit parva discussio de hac re cuius in fine Rev.mus Relator hanc proponit formulam emendatam:

«Instituta apostolica ad propria ministeria exercenda primario condita, totam suam vivendi formam ita ordinant, ut sodales vitam apostolatui integre deditam agere valeant».

Verba «Regularibus observantiis derelictis» ad mentem Exc.mi primi Consultoris delentur, et etiam verba «sive clericalia sive laicalia» quae non videntur necessaria.

Quaerit Rev.mus tertius Consultor ut maneant verba «Regularibus observantiis derelictis». Respondent tamen Rev.mi Relator et septimus Consultor, quibus accedunt Exc.mus decimus et alii Consultores, in omni specie vitae religiosae quamdam observantiam regularem semper exstare; si ergo memorata verba manerent interpretationes falsae haberentur et pericula non pauca.

Placet tamen, ipso Rev.mo tertio Consultore proponente, ut loco «totam suam vivendi formam» dicatur «totam suam vivendi rationem».

Formula ergo emendata § 1 a Rev.mo Relatore proposita probatur cum supradicta emendatione Rev.mi tertii Consultoris.

Ad § 2. Exc.mus decimus Consultor censem intentionem huius paragaphi quae optima quidem videtur, componi debere cum principio subsidiarietatis, ut aptum habeatur aequilibrium inter necessariam unitatem et opportunam decentralizationem. Ad hunc finem obtainendum proponit Exc.mus primus Consultor ut loco verbi «regimine» adhibeat tantum verbum «ductu», utque sermo etiam fiat de aliis moderatoribus qui Moderatorum Supremum adiuvant.

Rev.mus septimus Consultor censem sequentia principia declaranda esse in textu: *a)* unitas ad mobilitatem apostolicam et disponibilitatem sodalium fovendam; *b)* quae unitas sub ductu Moderatoris Supremi iuxta ius particulare servatur (et ita habetur etiam applicatio principii subsidiarietatis).

Huic propositioni accedunt alii Consultores, inter quos Exc.mus decimus et Rev.mus octavus, qui simul animadvertisunt multa Instituta religiosa hodie amisisse propriam unitatem cum defectione auctoritatis centralis. Immo — notat Rev.mus septimus Consultor — sunt qui dicunt Instituta religiosa tanquam Instituta universalia non amplius haberi, sed ea tantum concipi posse uti Instituta nationalia aut dioecesana.

His omnibus attentis, sequens formula emendata § 2 suffragationi submittitur et ab omnibus approbatur:

«Ad mobilitatem apostolicam et sodalium disponibilitatem fovendam, ea unitas servetur qua Institutum, sub ductu Moderatoris Supremi ad normam iuris particularis, in operibus propriis peragendis expeditum maneat».

Can. decimus

Ita sonat textus qui propositus est:

« § 1. Instituta sacerdotalia proprium praecipuumque in sacro ordine exercendo habeant munus et alia opera apostolica, deficientibus Ecclesiae sacris ministris, aliis, etiam laicis idoneis, perficienda relinquant.

§ 2. Sodales laici, in Institutis clericalibus cum presbyteris cooperantes, speciali titulo communem exercent sacerdotium; in seligendis ministeriis, ea p[er]ae ceteris assumant quae cum presbyteris collaborationem requirant et foveant ».

Ad § 1. Proponentibus Rev.mo octavo aliisque Consultoribus, dicitur «Instituta clericalia» loco «Instituta sacerdotalia». Ipse Rev.mus octavus Consultor sequentem textum emendatum totius § 1 proponit: «Instituta clericalia quae propria in sacro ordine exercendo assumpserunt ministeria ea fideliter servent; alia autem opera apostolica nisi sint Instituto propria, deficientibus Ecclesiae sacris ministris, aliis, etiam laicis idoneis, perficienda committantur».

Exc.mus decimus Consultor hanc novam formulam admittit, sed in initio textum ita emendandum proponit: «Instituta clericalia imprimis ministeria sacri ordinis exercenda fideliter servent; alia autem opera apostolica nisi sint Instituto propria...».

Ad mentem Exc.mi primi Consultoris melius esset si diceretur «aliis, idoneis quoque laicis» loco «aliis, etiam laicis idoneis».

His omnibus attentis Rev.mus Relator sequentem textum emendatum § 1 suffragationi submittit:

«Clericalia Instituta ministeria sua in sacro ordine exercendo fideliter adimpleant; alia autem opera apostolica nisi sint Instituto propria, deficientibus sacris Ecclesiae ministris, aliis, idoneis quoque laicis, committantur».

Facta suffragatione, textus hic unanimiter recipitur.

Ad § 2. Ipse Rev.mus Relator hanc proponit emendationem textus: «Sodales laici, qui in his Institutis vi professionis suae fidelium commune exercent sacerdotium cum clericis collaborando, ea p[er]ae ceteris assumant ministeria quae hanc cooperationem foveant».

Quaerit Rev.mus tertius Consultor, et accipitur, ut haec addantur verba: «... vi professionis suae *speciali titulo* fidelium commune...». Ipse Rev.mus animadvertisit melius esse dicere «officia» loco «ministeria», ne isti laici facere tantum velint ministeria spiritualia seu ministeria cooperationis cum clericis. Animadversio placet.

Exc.mus decimus Consultor dubitat utrum necessarium sit necne sermone in hic facere de sacerdotio communi fidelium. Quidam Consultores censem hoc revera non esse ad rem. Alii tamen, inter quos Rev.mus Secretarius, putant haec verba servari posse, quia per expressionem «speciali titulo» videlicet per professionem religiosam iam apte exprimitur limitatio quae habetur in exercitio huius communis sacerdotii fidelium.

His omnibus prae oculis habitis, sequens formula § 2 suffragatur et ab omnibus recipitur.

«Sodales laici, in his Institutis vi professionis suae speciali titulo commune fidelium sacerdotio exercentes cum clericis collaborando, ea prae ceteris assumant officia quae hanc collaborationem foveant».

Can. decimus primus

Textus qui propositus erat in Relatione introductory ita sonabat:

«§ 1. Instituta apostolica laicalia, tum virorum tum mulierum, quorum sodales muneri pastorali Ecclesiae adimplendo dedicantur in erudenda iuventute, in aegrotis curandis atque in aliis multiplicibus ministeriis explendis, indolem propriam et spiritum suum servent dum opportunis mediis Ecclesiae necessitatibus et temporum adiunctis sese accommodant.

§ 2. Sodales horum Institutorum qui, ob deficientiam ministrorum sacrorum Ecclesiae, quandoque legitime ministeria quaedam sacra exercere permittuntur, numquam opera propria sui Instituti derelinquent».

Censem Consultores hanc formulam abbreviari debere, vitata quoque quaestione particulari de qua sub § 2 canonis. Rev.mus octavus Consultor sequentem novum textum proponit:

«Laicalia Instituta, tum virorum tum mulierum, munus pastorale Ecclesiae per propria ministeria adimplent hominibusque diversissima praestant servitia».

Exc.mus decimus Consultor obiicit hanc formulam esse nimis brevem, quapropter Rev.mus septimus Consultor ita proponit ut compleatur textus:

«Laicalia Instituta, tum virorum tum mulierum, per misericordiae opera spiritualia et corporalia munus pastorale Ecclesiae adimplent hominibusque diversissima praestant servitia, quare in suae vocationis gratia fideliter permaneant».

Facta suffragatione, hic textus ab omnibus probatur.

Ita expletur disceptatio de Titulo II, secundae partis Schematis seu « De Institutis religiosis operibus apostolatus deditis ». Antequam vero Sessione solvatur, Rev.mus Relator Consultoribus tradit documentum cuius titulus « Addenda ad Relationem introductivam XII^{am} » (cf. Adnexum III). Consultores ergo a Rev.mo Secretario rogantur ut proprias sententias de quaestionibus in supradicto documento propositis humanissime Secretariae Commissionis scripto transmittant ante finem mensis ianuarii 1973, ita ut tempore opportuno a Parvo Coetu perpendi possint.

Precibus de more dictis, finis imponitur huic XIV^{ae} Sessioni Coetus studii « De Institutis perfectionis ».

Romae, 9 decembris 1972

I. HERRANZ
Actuarius

Adnexum I

RELATIO INTRODUCTIVA DECIMA SECUNDA
PARS SECUNDA SEU SPECIALIS

Titulus II: DE INSTITUTIS RELIGIOSIS OPERIBUS APOSTOLATUS DEDITIS

1. In hac sessione decima quarta nostri Coetus Studii — sicut ex rubrica supra posita clarum est — nobis incumbit onus revera grave. Debemus apparare et approbare Schema canonum specialium qui sese referunt ad vitam et activitatem apostolicam Institutorum religiosorum eorumque sodalium «ex propria vocatione et vi iuris particularis» operibus apostolatus deditorum. Omnes Rev.mi Consultores huius Coetus perfecte consci sunt de gravissima responsabilitate quae super humeris nostris gravat in hoc negotio tam coram ipsis Institutis quam coram Ecclesia et coram Deo. Canones namque, qui a nobis faciendi et approbandi sunt, respiciunt magnam multitudinem animarum quae generose suam vitam servitio divino et multiformibus necessitatibus Ecclesiae et hominum consecraverunt. Agitur abs dubio de prioribus partibus Institutorum perfectionis et animarum quae per professionem consiliorum evangelicorum Deo sunt dicatae. Includit enim haec categoria omnia Instituta religiosa, sive clericalia sive laicalia, sive virorum sive mulierum, exceptis Institutis monasticis, de quibus in praecedenti sessione sermo erat. Pondus et efficacia horum Institutorum in vita Ecclesiae et in mundo sunt imponderabilia. Opera apostolatus et caritatis quae a sodalibus horum Institutorum perficiuntur fere innumera bilia sunt et tam varia ut vix in sectionibus, etiam dumtaxat generalioribus, coadunari possunt. Exinde oritur magna difficultas formulandi pro hac categoria Institutorum et sodalium canones non tantum aptos ad vitam et activitatem congrue ordinandam, sed etiam idoneos ad fovendam et efficaciter inducendam illam accommodatam renovationem vitae religiosae quae a Patribus Concilii Oecumenici Vaticani II tam enixe commendata fuit.

2. Sed quaenam est methodus melior et magis apta ad hunc finem assequendum? Meo humili iudicio, via tutior ea est quam, initio fere laborum nostrorum, nobismetipsis indicavimus in principiis directivis a nostro Coetu approbatis in tertia sessione. Iuvat hic iterum referre *secundum et tertium principium* quae in hac parte sunt apprime applicabilia:

Secundum principium directivum: «Canones qui disciplinam religiosam statuunt fovere debent agnitionem in quolibet instituto spiritus Fundatoris

eiusque conservationem; familias religiosas adiuvare ad proprium patrimonium servandum, quod in propria ac peculiari indole, in propriis propositis et in sanis traditionibus consistit. *Itaque, ius commune sancire debet dumtaxat principia generaliora quae omnibus institutis faciliter applicari possunt quaeque congruam libertatem eis relinquant ut ad finem suum tendere possint.*

Tertium principium directivum: «Dum principia constitutiva vitae religiosae clare indicari et firmiter sanciri debent, in normis disciplinaribus statuendis congrua flexibilitas in tuto ponatur, ut eae normae faciliter aptari possint diversis conditionibus et exigentibus Ecclesiae et ipsorum institutorum».

3. Breve commentarium instituens super his principiis in «relatione» scripta et typis edita in ephemerede *Communicationes* nostrae Pontificiae Commissionis (cf. *Communicationes*, vol. II, 1970, pp. 171-172), sequentia dicebam quoad *secundum principium*: «Hoc principio remedium afferatur contra periculum legislationis communis quae ad minutis determinationes descendit quaeque non solum erit difficilis applicationis sed etiam producere potest nocivam inter instituta et sodales sic dictam ‘*livellationem*’ cum detimento spiritus proprii institutorum et patrimonii eorum... Hoc factum est ut remedium afferatur defectui legislationis Codicis vigilantis religiosos respicientis. Legislatio haec appetit nimis particularis et pluries ad minutis determinationes descendit, quae in iure communi apparere non debent». Quoad *principium vero tertium* haec inter alia scribem: «Maxima varietas institutorum perfectionis cum eorum scopo, indole, structura admodum diversa et rapida mutatio conditionum socialium in quibus sodales vivunt et activitatem perficere debent magnam elasticitatem exigunt in normis iuris communis. Secus erit impossibile has normas omnibus institutis et sodalibus applicare».

4. Ut per se patet, haec principia directiva applicari debent in illa parte Schematis Generalis quae agit de iis quae omnibus Institutis perfectionis sunt communia. Et revera hoc conati sumus facere in formulandis canonicis primae partis nostri Schematis. Non est tamen obliviscendum Instituta religiosa constituere longe maiorem partem Institutorum perfectionis et inter ea maximam haberi diversitatem, tam quoad indolem et finem quam quoad structuram, opera apostolica et traditiones. Quare, ad hoc ut videntur defectus et effectus nocivi, de quibus in commentario supra relato, oportet haec duo principia applicare etiam in conficiendis praescriptis specificis pro hac maxima categoria Institutorum. Etiam in hac parte Schema debet continere illos paucos canones qui necessarii aestimantur ad ordinan-

dam — modo omnino generali — vitam Institutorum et sodalium et potissimum eorum activitatem apostolicam, cum agatur de Institutis religiosis operibus apostolatus deditis. Aliae determinationes — ad hoc ut sint aptae ad opus intentum et non nocivae — relinqu debent ipsis Institutis faciendae in proprio iure particulari, quod — ut pluries iam diximus — maius habebit momentum in iure recognito quam in praesenti et praeteritis legislationibus habuit.

5. Prae oculis etiam constanter teneri debet factum quod haec secunda pars Schematis generalis primam supponit et proinde tantum praescripta propria et specifica huic categoriae Institutorum includere debet. In iure — potissimum codificato — repetitiones inutiles admitti non debent. Quare, sicut iam pro Institutis monasticis factum est, paucos tantum canones proponimus pro schemate secundi Tituli: «*De Institutis religiosis operibus apostolatus deditis*». Immo, relative, canones huius Tituli erunt multo pauciores quia applicari debent longe maiori numero Institutorum et sodalium ac propterea normae debent esse universaliores et magis flexibles.

6. His in adjunctis facile abs dubio non fuit mihi, relatori, selectionem canonum facere qui in hoc Titulo includendi erunt. Adest ex una parte periculum proponendi legislationem nimis genericam, speculativam et parum concretam, quae proinde influxum sat parvum habere poterit in ordinationem vitae et activitatis Institutorum et sodalium; sed ex alia habetur aliud periculum, forsan gravius et magis nocivum, imponendi Institutis religiosis legislationem difficulter applicabilem propter eius minutus determinationem — sicut dictum est pro legislatione Codicis vigilis. Primum periculum, si ita vocari potest, ad minimum reducitur per ius particulare cuiuslibet Instituti, quod, ut plures dictum est, maximum habebit momentum in iure recognito quodque constituet normam proximam vitae et activitati in quolibet Instituto. Re quidem vera, professio consiliorum evangelicorum et potissimum oboedientiae in omnibus religionibus et in omnibus Institutis perfectionis fit secundum ius particulare uniuscuiusque et non ad normam iuris communis, etsi clarum sit quod ius commune sit obligatorium pro omnibus Institutis eorumque sodalibus.

7. Sicut patet ex eadem rubrica Tituli II: «*De Institutis religiosis operibus apostolatus deditis*», nota specifica Institutorum quae in hac categoria coadunantur est quod sint Instituta religiosa exercentia quaedam opera apostolatus. Propterea, antequam transitus fiat ad canones respicientes sub-

divisiones huius Tituli, opportunum et forsitan necessarium appareat quosdam canones communes praeponere circa vitam religiosam et vitam apostolicam horum Institutorum eorumque sodalium, vel potius circa unionem coordinatam vitae apostolicae cum vita religiosa, ita ut prima suum fontem et radicem inveniat in secunda et haec detrimentum non patiatur ex inordinata et excessiva activitate apostolica. Neminem latet non paucos hodie, etiam inter religiosos, parvipendere valorem orationis et contemplationis et nimis extollere activitatem humanam in operibus apostolatus exercitam.

Quaestio de canonibus communibus in hoc Titulo includendis a me, Relatore, Rev.mis Consultoribus Parvi Coetui proposita fuit et ab eis mature perpensa atque tandem approbatum fuit quod in hac parte quinque canones indolis generalis ponendi debent. In primo canone, fundamentali pro hac categoria, codificatur principium magni momenti a Patribus Concilii solemniter enunciatum. *Actio apostolica, in his Institutis, pertinet ad ipsam naturam vitae religiosae.* Et hoc provenit ex ipsa vocatione seu gratia quae data eis fuit. Exinde sequitur quod vita religiosa in his Institutis numquam dissociata esse debet a spiritu apostolico. Ex alia tamen parte, apostolatus cuiuslibet Instituti debet esse proprius et non confundi cum apostolatu aliorum Institutorum. Hoc postulant diversa vocatio et diversa charismata cuiusque Instituti. Fons tamen unicus, ex quo omnis apostolatus omnium religiosorum fluere debet, est intima unio cum Deo per Christi sequelam.

8.

CANON PRIMUS

§ 1. In Institutis religiosis operibus apostolatus deditis, actio apostolica ad ipsam eorumdem naturam (vitae) pertinet. Proinde, tota vita sodalium spiritu apostolico imbuatur, tota vero actio apostolica spiritu Instituti informetur.

§ 2. Actio apostolica ex intima cum Deo unione semper procedat oportet et sodales illam prae omnibus colant.

Notae:

- a) Post dicta in praecedenti numero pauca remanent exponenda in hoc canone. Tam rubrica huius Tituli quam principium naturam horum Institutorum respiciens — de quo supra iam locutus sum — desumpta sunt ex n. 8 Decreti conciliaris: *Perfectae Caritatis.*

b) Actio apostolica in his Institutis pertinet ad ipsam naturam vitae religiosae non tantum ex charisma fundatorum et ex vocatione recepta sed etiam propter commissionem ex parte Ecclesiae. Est enim competens Auctoritas Ecclesiae quae Instituta erigit, canonice constituit, ea sapienter moderatur et ius particulare approbat (cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, Cap. VI, n. 43, 45). En verba Decreti: *Perfectae Caritatis*, n. 8: «In his institutis, ad ipsam naturam vitae religiosae pertinet actio apostolica et benefica *utpote sanctum ministerium et opus caritatis proprium ab Ecclesia ipsis commissum eiusque nomine exercendum*». Licit in Decreto Conciliari verba citata non applicentur tantummodo Institutis religiosis proprie dictis, sed omnibus Institutis perfectionis operibus apostolatus deditis, abs dubio principalius applicantur Institutis in hac categoria coadunatis, tam quia numerosiora sunt quam quia vota religiosa ponunt ista instituta in primo loco inter Institutata perfectionis. Ceterum, praescriptum extendendum est postea aliis Institutis operibus apostolatus deditis.

c) Etiam alia verba canonis, tam primi quam secundi paragraphi ex n. 8 Decreti *Perfectae Caritatis* desumpta sunt. Principium enunciatum et praescriptum huius canonis sunt aliquantulum nova, saltem quoad expressionem. Per distinctionem inter finem generalem et finem specialem Institutati, opera apostolica vel caritativa et eorum exercitium non considerabantur pars essentialis vitae religiosae vel vocationis religiosae, etiam in his institutis vitae sic dictae activae vel mixtae.

9. Accommodata renovatio vitae religiosae insistenter a Patribus Conciliis et postea a S. Sede commendata immo et imposita fuit. Huiusmodi renovatio magis urgens et necessaria apparet in Institutis religiosis operibus apostolatus deditis ut sodalium actio apostolica efficacior reddatur et hodiernis necessitatibus Ecclesiae et fidelium magis accommodata (cf. Decr. *Perfectae Caritatis*, nn. 3, 8, 18, 20; Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 1; Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, nn. 22-40). Renovatio tamen magna cum prudentia fieri debet ut natura et indoles Institutorum et spiritus fundatorum atque finis et sanae traditiones intacta servari possint. Hoc abs dubio includit conservacionem operum priorum Institutati, sicut dicitur in Decreto *Perfectae Caritatis* nn. 3, 20. His tamen prae oculis habitis, competentes auctoritates Institutorum animose procedere debent ad renovationem faciendam et ad introducendas illas immutationes quae necessariae vel utiles apparent. Opportunum autem visum est Consultoribus Parvi Coetus haec paucis verbis statuere ut sint tamquam salutare et constans monitum omnibus quorum interest.

CANON SECUNDUS

Opera propria Institutorum fideliter retineantur atque temporum et locorum necessitatibus accommodentur, novis etiam mediis adhibitis.

Notae:

a) Quaenam sint opera propria alicuius Instituti apparet ex charismatibus ipsius, ex voluntate fundatoris et praesertim ex determinatione data in approbatione Ecclesiae. Mutatio essentialis operum Instituti aliquando, etsi rarissime, redditur necessaria, vel quia, ob scientiae progressum vel ob mutationem adiunctorum socialium, necessitas vel occasio exercendi illa opera amplius non adest vel quia illa opera exerceri non possunt, alia ob motiva. Semper tamen mutatio huiusmodi, quae negotium gravissimum pro Instituto constituit, cum approbatione competentis Auctoritatis hierarchicae fieri debet.

b) In acceptandis vel introducendis novis mediis pro exercitio operum apostolatus quae propria sunt Institutis, magna cum prudentia procedendum est. Imprimis, attendi debet utrum media quae reiciuntur pertineant ad Institutum tamquam media immutabilia, quibus renuntiari non potest, uti recitatio sollemnis divini officii in Ordine Praedicatorum, et utrum nova media adoptanda conformia sint indoli et fini Instituti.

10. Codex Iuris Canonici breviter et modo sobrio loquitur de relationibus inter Superiories religiosos et Ordinarios loci vel parochos ratione ministerii apostolici. Canon 608, § 1, qui potius hortatorius dici debet, praescribit: « Curent Superiores ut religiosi subditi, a se designati, praesertim in dioecesi in qua degunt, cum a locorum Ordinariis vel parochis eorum ministerium requiritur ad consulendum populi necessitatibus, tum intra tum extra proprias ecclesias aut oratoria publica, illud, salva religiosa disciplina, libenter praestent ». § 2 autem commendat: « Vici missum locorum Ordinarii ac parochi libenter utantur opera religiosorum, praesertim in dioecesi degentium, in sacro ministerio et maxime in administrando sacramento poenitentiae ».

In documentis vero conciliaribus quaestio magis profuse tractatur. Cum professio consiliorum evangelicorum sodales Institutorum perfectionis speciali modo coniungat Ecclesiae eiusque mysterio, tenentur isti vitam suam spiritualem pro bono totius Ecclesiae devovere et pro viribus adlaborare, iuxta propriam vocationem, ad Regnum Christi in animis radicandum et roborandum illudque ad omnes plagas dilatandum (cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, Cap. VI, n. 44). Haec obligatio, quae praeprimis adimpleri debet oratione, operibus poenitentiae et vitae exemplo, includit etiam exercitium operum apostolatus pro Institutis operibus apostolatus deditis, quae operam suam impendere tenentur etiam in bonum ecclesiarum particularium (cf. Decr. *Christus Dominus* n. 33).

Sodales enim Institutorum perfectionis ad familiam diocesanam pecu-

liari ratione pertinent et, si sacerdotes sint, vera quadam ratione ad clerum dioecesanum pertinere dicendi sunt. Quapropter, salva regulari disciplina et subiectione erga proprios moderatores, sodales huiusmodi non modo devoto obsequio et reverentia Episcopos prosequi tenentur, sed, quoties legitime vocantur, munia sua ut auxiliatores eorum et sub eorum iurisdictio- ne exercere debent (cf. Decr. *Christus Dominus*, nn. 34, 35, I).

11. Patres Conciliares principia fundamentalia tradiderunt ad rectas determinandas relationes, exercitium apostolatus respicientes, inter Hierarchiam et Instituta perfectionis (cf. Decr. *Christus Dominus*, n. 35). Ex commissione ipsorum Patrum, Summus Pontifex postea normas applicativas practicas dedit ad haec principia ad proxim deducenda (cf. Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, nn. 22-40). Paucis verbis ita doctrina re-colligi potest: sodales Institutorum perfectionis operibus apostolatus de-ditorum tenentur Episcopos adiuvare suo ministerio apostolico quando hi legitime petunt. Episcopi tamen attendere debent ut sodales in exter-num apostolatum immissi maneant imbuti spiritu proprii Instituti, fide-les in regulari observantia et subiecti propriis moderatoribus. Episcopi non possunt sodalibus imponere opera vel ministeria quae cum vocatio-ne propria consona non sunt aut quae in detrimentum eius vertere pos-sunt. Minus adhuc Episcopi Institutis imponere possunt ut sodales opus propriae vocationi contrarium assumant (cf. Decr. *Christus Dominus*, n. 35).

Abs dubio principia tradita a Patribus Concilii eorumque applicatio in citato Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* facta ab omnibus prae oculis habenda sunt ad relationes harmonicas et pacificas instituendas inter Epi-scopos et Instituta perfectionis relate ad apostolatum. Sed estne necessa-rium omnia principia tradita et applicationes factas in formam canonum redigere et in novo schemate includere? Rev.mi Consultores Parvi Coetus non crediderunt hoc necessarium vel utile. Et hoc plura ob motiva. Im-primis, si deberemus haec principia et eorum applicationes in formam canonum redigere haberemus legislationem longam — contra principia directiva a Coetu unanimiter approbata — quae faciliter applicari non posset in omnibus orbis partibus. Principia deinde a Patribus Concilii tradita suum valorem servabunt etiam post Codicis novi promulgatio-nem et ab omnibus observari debebunt, etsi explicite in novo Codice non inveniantur. Applicationes factae in citato Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* servandae sunt ad experimentum usque ad novi Codicis promul-gationem (cf. Introductionem eiusdem documenti in fine), sed — ni fal-lor — valorem directivum et orientativum pergent habere. Quare Epi-

scopi et Moderatores Institutorum invenire poterunt normas agendi ad ordinandum apostolatum sodalium religiosorum cum quadam facilitate. Tandem Consultoribus Parvi Coetus opportunum visum est in hac parte commendare Episcopis et Moderatoribus, quibus competit ad normam iuris particularis, ut inter se ineant conventiones in quibus clare determinatur tota materia de apostolatu sodalium Institutorum in dioecesi. Huiusmodi conventiones non sunt res nova in iure canonico et regulariter fiunt in terris missionum quando territorium concreditum est alicui familiae religiosae vel Instituto. Immo, Summus Pontifex in citato Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* (cf. I, n. 33) eas imponit Ordinario loci pro commissione paroeciae Instituto religioso et pro institutione religiosi tamquam parochi in paroecia non concredita religioni.

Ita plures difficultates molestae et salebrosae superari possunt et harmoniosae relationes inter Episcopos et sodales Institutorum — tam utilles pro recto exercitio operum apostolatus — consolidantur. Praeterea, occasiones dissidii ad nihilum fere reducuntur, cum ambae partes probe noscant propria iura et officia. Neque ulla amplius habebitur necessitas ex parte sodalium et Institutorum recursum faciendi ad institutum exemptionis, quod in praeterito non raro causa fuit dissensionis et aequivocationis ex utraque parte. Etsi post Concilium «exemptio» ordinem Institutorum internum potissimum respiciat (cf. Decr. *Christus Dominus*, 35, 3), hoc institutum tamen, saltem psychologiche, pergit influxum Institutis et sodalibus adversum exercere et quandoque praetextum constituit pro sodalibus ut suas obligationes negligant.

12. Quapropter, in nostro schemate tota materia de relationibus inter Ordinarios loci et sodales Institutorum religiosorum ad duos tantum canones reducitur. In primo admittitur principium quod statuit obligationem generalem pro omnibus Institutis operibus apostolatus deditis adlaborandi pro bono Ecclesiae et adiuvandi Episcopos in officio pastorali sub moderatione superiorum. Imponitur etiam Moderatoribus et Episcopis ut, quoad ministerium apostolicum sodalium, decisiones ferant communi consilio, ita ut attendere possint ad hoc ut sodales in apostolatum externum immissi fideles permaneant propriis obligationibus religiosis. In altero vero canone, imprimis affirmatur ius pro omnibus Institutis religiosis exercendi propria opera apostolica in suis ecclesiis et domibus. Deinde possibilitas statuitur pro Episcopis et moderatoribus ineundi inter se conventiones ad determinandas praestationes eorumque conditiones in campo apostolatus quae a sodalibus religiosis commodari debent.

CANON TERTIUS

§ 1. Vi propriae vocationis, Instituta operibus apostolatus dedita eorumque sodales ad bonum Ecclesiae adlaborare tenentur et Episcopos adiuvare sub ductu proprietorum moderatorum.

§ 2. Episcopi et moderatores collatis inter se consiliis procedant in ordinandis operibus apostolatus quae a sodalibus excentur et semper admissum attendant ut hi omnes religiosae observantiae fideles permaneant.

Notae:

a) Prae oculis habitis quae supra exposita sunt fere nihil remanet addendum per modum explicationis tam pro hoc canone quam pro sequenti.

b) Quae in § 2 statuta sunt ex Decreto Conciliari *Christus Dominus*, n. 35, 5, 6, desumpta sunt.

CANON QUARTUS

Opera propria apostolica Institutum ius habet exercendi in suis ecclesiis et domibus. Pro opportunitate, Episcopi et moderatores particulares conventiones ad collaborationem apostolicam ordinandam et fovendam inire possunt.

Notae:

a) Ius de quo in prima parte huius canonis appareat evidens. Secus approbatio Instituti religiosi eiusque operum apostolatus inutilis evaderet. Hoc tamen non tollit ius Episcopi super exercitium istorum operum si in favorem Populi Dei exerceantur.

b) Quaestio de conventionibus sat indeterminate proposita fuit ut libertas utriusque partis non coarctetur. Opportunum appareat pro Institutis religiosis ut hanc quaestionem profunde meditentur et ut normas statuant et conditiones detiment in proprio iure particulari quae inservire possint quando necessarium erit similes conventiones inire.

13. Non est dubitandum quin quatuor canones supra-positi normas contineant omnibus Institutis religiosis operibus apostolatus deditis applicabiles, sive sint clericales, sive laicales, sive virorum, sive mulierum. Attamen, quum in Schemate adoptato a nostro Coetu et in sessione XII approbatu (22-27 Novembris 1971) non appareat amplius distinctio inter Institutata religiosa clericalia operibus apostolatus dedita et illa laicalia (cf. Relationem conclusivam Sessionis XII, Adnexum II), quae e contra habebatur in praecedenti

Schemate (cf. *Communicationes*, vol. II, 1970, fasc. 2, p. 176), quis forsan credere posset Relatorem oblitum fuisse de existentia horum Institutorum religiosorum laicalium et praesertim mulierum, quae tam numerosa sunt. Quod evidenter falsum est. Re quidem vera, oppositum accidit. Instituta nempe laicalia in omnibus equiparata sunt Institutis clericalibus (excepta, ut clarum est, quaestione de ordine sacro) ita ut necessarium non fuerit specifico loqui de Institutis religiosis laicalibus sive virorum sive mulierum.

Sed forsan esset melius ad Instituta laicalia magis in lucem ponenda et ad aequivocationem tollendam unum brevem canonem communem addere in quo, vestigia Patrum Concilii prementes, statuamus veritatem et valorem professionis consiliorum quae his in Institutis emituntur eiusque ab Ecclesia recognitionem et simul proclamemus merita eorum in campo apostolatus.

CANON QUINTUS

Instituta laicalia, quae veram et completam religiosam professionem consiliorum evangelicorum ab Ecclesia recognitam secumferunt, multiformi apostolatu Sponsam Christi condecorant hominibusque diversissima praestant servitia.

Notae:

a) Prima declaratio, in hoc canone inclusa, provenit ex n. 10 Decreti Concilii Vaticani II *Perfectae Caritatis*, ubi dicitur: «Vita religiosa laicalis, tam pro viris quam pro mulieribus, statutum in se completum professionis consiliorum evangelicorum constituit». Verba autem Patrum Concilii modificata sunt ut vitetur necessitas canonom in duas paragraphos dividendi. Sensus tamen idem remanet.

b) Secunda affirmatio canonis desumpta est ex Constitutione Dogmatica *Lumen Gentium*, Cap. VI, n. 46, ubi Patres Concilii optimum testimonium reddunt animabus consecratis per professionem consiliorum evangelicorum: «Idcirco denique Sacra Synodus confirmat et laudat viros ac mulieres, Fratres ac Sorores, qui in monasteriis, vel in scholis et nosocomiis, vel in missionibus, constanti et humili fidelitate in praedicta consecratione Sponsam Christi condecorant, omnibusque hominibus generosa ac diversissima servitia praestant».

Notandum est Patres Concilii testimonium hoc tribuere non tantum Institutis religiosis et sodalibus eorum operibus apostolatus deditis, sed omnibus personis, sive religiosi sint sive non, qui per professionem consiliorum evangelicorum a legitima Auctoritate recognitam servitio Dei, Ecclesiae et hominum dedicantur.

14. Expleta formulatione canonum qui praescripta statuunt communia omnibus Institutis religiosis sub rubrica huius Tituli inclusis, oportet

nunc ut transeamus ad examen canonum qui pro qualibet subdivisione statuendi sunt. Ut ex Schemate Partis Specialis in sessione XII approbato patet, Titulus II tribus Articulis constituitur quorum primus agere debet: «*De Institutis canonicorum*», secundus vero: «*De Institutis conventionalibus*» et tertius: «*De Institutis apostolicis*». Necessarium non aestimamus hic repetere motiva quae Coetum moverunt ad priorem divisionem mutandam. Haec, cum relativa discussione, inveniri possunt in Relatione conclusiva Sessionis XII (pp. 2-11)¹ et in nostra Relatione introductiva decima (c. Adnexum I Sessionis XII, pp. 1-8).²

Quamvis canones introducendi in articulos huius Tituli pauci omnino sint — ut statim apparebit — Consultoribus Parvi Coetus opportunum visum est divisionem in Articulos servare ut distinctio inter varios coetus Institutorum religiosorum operibus apostolatus deditorum clarius appareat. Sed si Rev.mis Consultoribus huius Coetus Studiorum expedire videbitur subdivisiones e medio tollere, nihil opponere intendimus. Hoc in casu tamen, ratione uniformitatis, melius forsitan esset divisionem in articulos abolere etiam in Titulo I, ubi praescripta canonum statuimus quae Instituta monastica eorumque sodales respiciunt.

15. Attenta multitudine et varietate Institutorum religiosorum quae sub hoc Titulo II coadunantur, non semper est facile recte identificare ad quamnam ex tribus coetibus supra nominatis aliquod particulare Institutum revera pertineat. Non semper distinctio est nitida et clara inter Institutum canonicorum regularium et Institutum conventuale et minus adhuc inter Institutum conventuale et Institutum apostolicum. Haec tamen pertinentia ad unum vel ad alium coetum Institutorum momento non caret, quia hic agitur de quibusdam notis essentialibus Institutorum et de diversis operibus apostolatus et etiam de mediis adhibendis ut finis Institutorum attingi possit. Quapropter, *Consultoribus Parvi Coetus necessarium visum est imprimis tradere quamdam saltem descriptivam definitionem cuiuslibet coetus Institutorum in qua specificae qualitates seu notae indicabuntur*. Ita fit ut numerosissima Instituta religiosa operibus apostolatus dedita absque difficultate invenire possint ad quemnam coetum pertineant. Aliud etiam motu habetur quod nos impellit ad definitionem saltem descriptivam cuiuslibet coetus tradendam. Omnibus Institutis religiosis, imo, omnibus Institutis perfectionis, impositum est ut renovationem accommodatam instituant in omnibus aspectibus vitae sodalium. Etiam ius particulare recogno-

¹ Cf. supra, pp. 126-131.

² Cf. supra, pp. 151-158.

scendum est iuxta postulata et desiderata Patrum Concilii. Omnibus autem notum est non pauca Instituta religiosa experimenta et innovationes admisisse quae parum concordant cum eorum vocatione, charismatibus et traditionibus peculiaribus eorum. Hoc forsitan quandoque accidit quia sodales Institutorum claram conceptionem naturae proprii Instituti non habebant. Propterea, notio saltem descriptiva coetum vel specierum, in quas genus Institutorum religiosorum operibus apostolatus ditorum dividitur, necessaria apparet et efficaciter inservire potest ad abusus et exaggerationes imprudentes e medio tollendas.

Neque silentio praeterire debemus quin Patres Concilii loquentes de foederationibus et de unionibus inter instituta explicite declarant foederationes fieri posse inter instituta «si quodammodo ad eamdem familiam religiosam pertinent» et uniones «si fere pares habent constitutiones et usus eodemque animantur spiritu... si iisdem vel similibus operibus externis incumbunt» (*Decr. Perfectae Caritatis*, n. 22; cf. *ibid.*, n. 21). Unde etiam ad hunc finem clara distinctio inter diversos coetus Institutorum non parum inservit.

16. Conabimur igitur primo loco in unoquoque articulo notionem tradere coetus vel speciei Institutorum de quibus agitur. Hoc tamen facto, parum remanebit addendum, nisi velimus ad particularia descendere. Quod, ut plures dictum est, non expedit. Praescripta enim quae adiungi possent deberent respicere vel vitam religiosam sodalium horum Institutorum vel ministerium apostolicum quod exercent. Si tamen canones iam formulati tam in parte generali quam in hac parte sufficientes non considerentur, deberemus longam seriem canonum conficere tam ad codificanda varia puncta vitae religiosae quam ad ordinandas relationes inter Instituta et Auctoritatem hierarchicam exercitium apostolatus respicientes. De hoc tamen ultimo punto iam supra locuti sumus et primum melius relinquimus determinandum in iure particulari cuiuslibet Instituti. Maiores enim determinationes ex parte iuris communis non erunt facilis applicationis etiam dumtaxat Institutitis illius coetus de quo agitur.

Incipiemos ab Institutis canonicalibus, quia canonici regulares historice et iuridice constituant primam formam vitae religiosae in qua sodales, vi propriae vocationis, operibus apostolatus externi incumbunt. Ista Instituta indole, traditione et vitae genere magis quam alia accedunt ad Instituta vitae contemplative. Postea fiet sermo de Institutis conventionalibus, quae alias observantias monasticas adhuc servant, sed maiores partes assumunt in exercendis operibus apostolatus. In vita horum Institutorum et eorum sodalium locum specialem habet celebratio liturgiae et recitatio communaria liturgiae horarum. Tandem, sermo erit de Institutis apostolicis, in

quibus emphasis ponitur in exercitio ministerii apostolici. Non parva est diversitas in modo vitam agendi horum Institutorum, sed regulares observantias et recitationem communem liturgiae horarum sodales horum Institutorum fere numquam acceptaverunt, ut melius respondere possent vocationi apostolicae et Ecclesiae necessitatibus.

Art. II: *De Institutis Canonicalibus*

17.

CANON SEXTUS

§ 1. Instituta canonicalia sollemniori praecipue cultu laudem divinam agunt atque opera apostolica exercent sacerdotale officium praecepsim in paroeciis perficiendo.

§ 2. Ad vitam regularem fovendam eis pro posse paroeciae concredantur quae inter se vel domui principali viciniores sint.

§ 3. Congregari possunt sub eodem Abate Preaside plura Capitula canonicorum regularium sui iuris et confoederari sub eodem Abate Primate plura eiusdem generis canonicorum Instituta.

Notae:

a) Fons praecipuus, ex quo canon iste desumptus est, constituitur ex quoadam documento a Consilio Primatiali Confoederationis Canonicorum Regularium S. Augustini anno 1970, mense novembri, exarato in Helvetia, hortante Unione Internationale Superiorum Generalium. Documentum hoc, nostrae Commissioni Pontificiae directum, intendit illam certiore facere de positione hodierna canonicorum regularium et de eorum postulatis pro recognitione Codicis iuris canonici. Membra tamen Consilii Primatialis ignorabant methodum a nostro Coetu adoptatam in recognoscendo iure quod Instituta perfectionis respicit et propterea eorum propositiones acceptari non poterant sicuri iacent. Per scriptum eorum tamen non paucam lucem attulerunt pro formulatione huius canonis.

b) Instituta canonicalia, quae fere omnia sunt antiquissimae fundationis, habent tamquam notam propriam communem sollemnem celebrationem liturgiae sacrae et apostolatum paroeciale, licet et alia opera pastoralia exerceant. Hoc clarissime patet ex citato documento et etiam ex descriptione finis horum Institutorum in «Annuario Pontificio» facta: «Scopo: Culto liturgico solenne canonicale, ministero pastorale, missioni, studi, educazione della gioventù, ospitalità» (*Annuario Pontificio*, 1972, p. 1102). Pro canonicis regularibus Premonstratensibus dicitur: «Culto liturgico solenne; apostolato liturgico; ministero parrocchiale; educazione della gioventù; missioni» (*ibid.*, p. 1103). Pro Crucigeris vero scopus breviter ita determinatur: «Culto divi-

no; Opere di apostolato» (*ibid.* p. 1104). Tendentia, quae nostris temporibus generalior appareat, adest in fere omnibus categoriis Institutorum perfectionis, quae integre contemplativa non sunt, dilatandi scopum vel opera apostolica quae in initio assunta fuerant. Et hoc appareat etiam in variis Institutis canonicorum.

c) Praescriptum § 2 ita clarum est ut vix explicatione indigeat. Hodie, etiam in paroeciis religiosis concreditis, vix unquam haberi potest communitas aliquantulum numerosa. Hic status rerum certe non favet regulari observantiae et magis adhuc si unus vel duo religiosi solitarii et separati vivunt ab aliis membris eiusdem familie religiosae qui buscum difficulter et raro communicare possunt ob distantiam quae inter ipsos intercedit. Praescriptum tamen, licet quadammodo valeat pro omnibus religiosis, positum est hic quia apostolatus canonicorum quammaxime in paroeciis exercetur.

d) Varia Instituta Canonicorum Regularium SS. Augustini a Summo Pontifice Ioanne XXIII confoederata fuerunt per Litteras Apostolicas *Caritatis Unitas*, diei 4 mensis Maii 1959 (cf. *AAS*, vol. LI, 1959, p. 630). Congregatio vero Canonicorum Regularium Immaculatae Conceptionis admissa fuit in Confoederationem die 2 mensis Iulii 1961 (cf. *Annuario Pontificio*, 1972, p. 1103). Quoad instituta monastica dictum est, in canone 5 «De Institutis monasticis» in praecedenti Sessione approbato, quod ad foederationem et confoederationem monasteriorum vel Congregationum monasticalium facendas requiritur beneplacitum apostolicum. Puto quod etiam ad foederationem et confoederationem Capitulorum et Institutorum Canonicorum requiratur beneplacitum apostolicum. Si necessarium aestimetur hic clausula repeti.

e) Bene considerantes tres paragraphos huius canonis in luce eorum quae supra statuta sunt et attentis iis quae in parte generali Schematis generalis proposita fuerunt, Rev.mis Consultoribus Parvi Coetus visum est inutile addere alia praescripta Instituta canonicalia respicientia. Imprimis, neque Canonici confoederati hoc proposuerunt, neque appetat opportunum melius determinare modum perficiendi cultum sollemniorum, quia canonici in hoc habent traditonem et experientiam plurisecularem, neque methodum apostolatus, praesertim paroocialis, quia apostolatus iste, in quantum est talis, alibi invenire debet normas ordinativas et in quantum est apostolatus pecularis canonicorum regularium in eorum iure particulari specificationem invenire debet. Et ideo nihil amplius addendum putamus quoad Instituta canonicalia. Ampliores enim determinationes iuris communis fere necessario requisitam internam libertatem horum Institutorum coarctarent. Quod esset contra admissum principium.

Art. II: *De Institutis Conventualibus*

18.

CANON SEPTIMUS

§ 1. Institutum conventuale vitam apostolicam intime consociat laudi divinae et regularibus observantiis.

§ 2. Vitam fraternalm in communi sodales agere tenentur, praesertim in celebratione Eucharistiae et liturgiae horarum, ut communi studio et sollicitudine ministerium apostolicum prosequantur.

Notae:

a) Notae characteristicae huius coetus Institutorum religiosorum ita possunt enumerari: 1) vita communis, quae invenit suam altissimam expressionem in communi celebratione Eucharistiae et liturgiae horarum; 2) apostolatus intensus, qui in vita religiosa sodalium et in eorum vita liturgica atque fraterna caritate alimentum continuo invenire debet; 3) quaedam observantiae regulares praesidium et tutamen constituentes tam pro vita religiosa in communi fraternitate agenda quam pro efficaci et fructuoso apostolatu.

b) Agitur in isto Articulo de sic dictis «Institutis religiosis vitae mixtae», quam expressionem Patres Consilii feliciter in hanc mutaverunt: «religiones quae ex regula vel instituto vitam apostolicam intime consociant officio chorali observantiisque monasticis» (Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 9). Verba autem «officio chorali» mutata sunt in primo § in «laudi divinae», quia non omnia ista Instituta «officium chorale» servarunt sicuti traditionaliter intelligebatur. Tamen ad aequivocationes tollendas additum est in § 2 quod sodales vitam communem et fraternalm agere debent in celebratione etiam *liturgiae horarum*.

c) Per celebrationem Eucharistiae, quae fulcrum et centrum communitatis debet esse, intelligitur Missa choralis seu conventionalis, sicut usque adhuc vocabatur. Hodie per possibilem concelebrationem membrorum communitatis quae sacerdotes sint, iste actus, einenter communitarianus, sensum altiorem acquirit.

d) Regulares observantiae, quae a Patribus Concilii vocantur observantiae monasticae, variae esse possunt in variis Institutis tam ob rationes historicas quam ob finem specificum vel ob naturam et qualitatem apostolatus cuiusque Instituti. Hodie expressio «observantiae monasticae» minus placet et propterea mutata est.

e) In his Institutis — sicut ipsa rubrica Articuli indicat — vita communis, quae omnibus Institutis religiosis est necessaria, specialem habet valorem quia intenditur tamquam medium peculiare apostolatus, praesertim per communitariam sacrificii Eucharistici celebrationem et publicam orationem atque per exercitium fraternae caritatis. Propterea dicitur: «Vitam fraternalm in communi sodales agere tenentur».

§ 1. Paupertatem his Institutis consentaneam (quae notam peculiarem eis propriam constituit) etiam modo collectivo sodales exerceant (obseruent).

§ 2. Speciali pastorali cura adiuvent Instituta religiosa sibi aggregata aut consociata ut primaevi et genuino spiritu illius familiae imbuantur et in eo perseverent.

§ 3. Eumdem spiritum Instituti sodales per proprium apostolatum et praesertim per suas associationes inter christifideles diffundant.

N.B.: *Propter penuriam temporis iste canon et sequentes in hoc schemate examini Rev. Consultorum Parvi Coetus subiecti non fuerunt. Relator eos Rev. Consultoribus Coetus proponit sicuti ab ipso formulati sunt.*

Notae:

a) Quamvis coetus Institutorum religiosorum qui includitur sub rubrica huius Articuli identificari non possit cum coetu « Ordinum mendicantium » (cf. *Annuario Pontificio*, 1972, pp. 1114-1118) quia et aliae familiae religiosae sub illo titulo: « De Institutis conventionalibus » venire possunt, non est dubium quin omnes Ordines mendicantes sub hoc titulo includantur. Clarum etiam mihi apparet Ordines Mendicantes praeципuam partem constituere Institutorum religiosorum quae in hoc Articulo considerantur. Unde legitimim videtur dicere « paupertatem » constituere notam peculiarrem horum Institutorum. Ex hoc etiam sequitur huiusmodi Instituta obligationem speciale habere testimonium Christo et Ecclesiae perhibendi per exercitium huius virtutis, non solum individuale sed etiam collectivum et communitarium. Patres Concilii hoc commendant omnibus Institutis perfectionis, sed cum vocatio ipsa et charisma Institutorum de quibus agimus videntur paupertatem modo singulari includere, non abs re erit praescriptum § 1 hic statuere.

b) Anceps fui utrum mentionem debuisse facere in § 1 de lege « laboris » cui sodales horum Institutorum certissime sunt obnoxii (cf. Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 13). Post longam ponderationem decisionem tuli illam mentionem non faciendi in hoc canone, tam quia lex laboris respicit sodales omnium Institutorum perfectionis et non solum Institutorum conventionalium quam ob inopportunatatem de hac re loquendi expresse in canone, ne occasio detur iis qui ministerium sacerdotale derelinquent ut labore aliquem materialem suscipiant vel mansiones omnino profanas et « saeculares ». Sed, si Rev.mis Consultoribus opportunum videatur magnam non opponerem difficultatem.

c) Praescriptum § 2 est analogum illi quod statutum est in canone 9 Tituli I « De Institutis monasticis », ubi monasteria monialium Ordini cuidam virorum consociata ponuntur sub spirituali cura illius Ordinis ut moniales adiuventur ad propriam vocationem prosequendam. Ita etiam mutatur disciplina inducta a can. 500, § 3, ubi dicitur: « Nulla virorum religio sine speciali apostolico indulto potest sibi subditas habere religiosas Congregationes mulierum aut earum religiosarum curam et directionem retinere sibi specialiter commendatam ». Nullo modo hic praetenditur ut Congregationes religiosae aggregatae aut consociatae ponantur sub iurisdictione vel potestate sic dicti

Primi Ordinis, sed experientia compertum est quod Codex, tollendo has Congregatio-
nes mulierum a cura et directione spirituali Primi Ordinis, causa saltem partialis fuit
perditionis spiritus genuini familiae religiosae ex parte illarum Congregationum.

d) Quodlibet Institutum religiosum vel etiam perfectionis in genere, vi legitimae
errectionis ex parte Auctoritatis competentis, ius acquirit sui notitiam et proprium spi-
ritum divulgandi inter populum christianum tam ad vocationes fovendas quam ad po-
pulum Dei adiuvandum et erudiendum praesertim per associationes proprias et per
apostolatum qui per illas exercetur (cf. Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 24).

e) His duobus canonibus completur specifica legislatio quoad Instituta conven-
tualia. Individuatis enim notis characteristicis horum Institutorum quibus specificatur
et vita religiosa eorum sodalium et apostolatus eis proprius, modo omnino generali, et
statuto iure spiritualiter adiuvandi sodales Institutorum sibi aggregatorum vel conso-
ciatorum et diffundendi proprium spiritum inter fideles, nescio quid amplius adiungi
possit in hoc campo. Ampliores determinationes dare circa vitam religiosam horum
Institutorum vel circa methodum exercendi proprium apostolatum non possumus,
quia haec Instituta valde inter se differunt et propterea determinationes huiusmodi,
praeterquam nocivae, erunt etiam difficulter applicabiles omnibus Institutis huius
coetus.

Art. III: *De Institutis Apostolicis*

20.

CANON NONUS

§ 1. Instituta apostolica illa vocantur, quae, sive clericalia sint sive lai-
cialia, ad opera apostolica exercenda primarie condita sunt. Regularibus ob-
servantiis derelictis, propria servent ministeria atque totam suam vivendi
formam (rationem) ita ordinent (componant) ut vitam apostolati integre
deditam agere valeant.

§ 2. Unitas, quae mobilitatem apostolicam et sodalium disponibilita-
tem fovet, praeprimis servetur ut sodales omnes Instituto aggregati (in In-
stituto cooptati) ad omne opus peragendum expediti maneant sub ductu et
regimine Moderatoris Supremi Instituti.

Notae:

a) Sub rubrica huius Articuli caterva Institutorum religiosorum colligitur quae
natura sunt eminenter apostolatui dedita. Sub hoc titulo veniunt non modo Clerici
Regulares sed etiam plurimae Congregationes religiosae sive clericales sive laicales, sive
virorum sive mulierum. Sub hoc Articulo abs dubio invenitur coetus magis numero-
sus Institutorum religiosorum operibus apostolatus deditorum. Ut patet ex discussio-

ne circa secundam partem Schematis Generalis perdurante Sessione XII huius Coetus, adoptatio rubricae: «De Institutis apostolicis» facta est ad significandum quod huiusmodi Instituta eminenter dedicantur exercitio operum apostolatus. Idem significatur in § 1, quando dicitur quod huiusmodi Instituta «primarie» ad opera apostolica exercenda condita sunt. Verum etiam est quod difficile est invenire aliam rubricam sub qua coadunari possunt omnia ista Instituta. Quod tamen neminem in errorem inducere debet. Etiam Instituta Canonicalia et Conventualia sunt «apostolica», sed non eodem modo et gradu. Similiter etiam sodales Institutorum apostolicorum vitam interiorem, ut dicitur, asceticam et mysticam colere debent et ad contemplationem divinorum attendere, sed media et methodus quae adhibentur sunt diversa.

b) Additur specificatio: «sive clericalia sive laicalia», non quia haec distinctio restringitur ad Instituta huius coetus, sed quia maior pars Institutorum laicalium in hoc Coetu inveniuntur. Sufficit nominare Congregationes religiosas sororum quae inter haec Instituta locum inveniunt.

c) In secunda parte § 1 invenitur ratio quare huiusmodi Instituta observantias religiosas et communitariam cleebrationem liturgiae horarum non servaverunt. Emphasis ponitur in exercitio operum apostolatus quae quodammodo praferentur illis observantiis et mediis ad hoc ut sodales sint magis disponibiles et liberi. Etiam hic tamen requiritur ut scopus Instituti et charisma fundatoris adamassim servetur. Et ita sodales debent ministeria propria servare, etiamsi vita ita ordinetur ut sit integre dedicata apostolatui.

d) Nota characteristicia horum Institutorum, nempe quod sint praecipue fundata ad opera apostolica exercenda et quod sodales vitam ducere debent integre apostolatui deditam, exigit, plus minusve, structuram et regimen peculiare in Instituto. Imprimis, requiritur magna cohaesio inter diversas partes Instituti, quae nimis autonomae esse non debent, quia secus sodales faciliter disponibiles et mobiles esse non possunt. Aliis verbis, Institutum debet esse «centralizatum», sensu huic vocabulo dato a nostro Coetu in canone 4 in prima Sessione approbato (cf. Relationem Conclusivam Sessionis I, p. 58).¹ Moderator Generalis seu Supremus Instituti potestatem expeditam debet habere celeriter disponendi de omnibus sodalibus iuxta necessitates exsurgententes tam ipsius Instituti quam Ecclesiae. Ob hoc motivum § 2 canonis addita fuit. Certe, omnia Instituta religiosa apostolatui dedita debent curare ut eorum sodales sint disponibiles pro urgentibus Ecclesiae necessitatibus, sed Instituta apostolica praecise cum hac intentione fuerunt condita.

21.

CANON DECIMUS

§ 1. Instituta sacerdotalia proprium praecipuumque in sacro ordine exercendo habeant munus et alia opera apostolica, deficientibus Ecclesiae sacris ministris, aliis, etiam laicis idoneis, perficienda relinquant.

¹ Cf. *Communicationes*, XVI, 1984, 239.

§ 2. Sodales laici, in Institutis clericalibus cum presbyteris cooperantes, speciali titulo communem exercent sacerdotium; in seligendis ministeriis, ea prae ceteris assumant quae cum presbyteris collaborationem requirant et foveant.

Notae:

a) Manifestum, ni fallor, est scopum proprium et principalem Institutorum religiosorum sacerdotalium vel clericalium ministerium esse sacerdotale in multiformi eius expressione et modalitate. Hoc regulariter patet ex iure particulari eorum. Quae-dam eorum possunt, propter indolem propriam vel aliud ob motivum, magis inclinare ad exercitium unius ministerii sacerdotalis prae alio, sed extra illud regulariter non pergit. Aliquando admittitur aliquod opus apostolicum quod stricte sacerdotale vocari non potest, sed vix umquam hoc opus constituit scopum principalem Instituti sacerdotalis.

b) Hoc tamen non obstante, praescriptum contentum in prima parte § 1 mihi appareat admodum opportunum. Certe non desunt abusus in hac parte, praesertim in hac phase reformatoria et experimentationis. Non pauci in hac re tanti momenti aliquantulum leviter videntur procedere. deinde, quidam sacerdotes religiosi non cunctantur derelinquere ministerium sacerdotale sub praetextu assumendi alia munera, non raro profana, in quibus se peritos esse praesumunt. Hoc periculum adest, et gravius est, ubi retributiones pro ministerio sacerdotali vel paroeciali aequae non sunt. Et ita iustificatur parescriptum secundae partis § 1.

c) Mentione speciali digni sunt sodales laici, seu sic dicti Fratres Cooperatores in Institutis sacerdotalibus seu clericalibus. Plerumque isti providi et admodum necessarii cooperatores sacerdotum religiosorum a nemine requisitam attentionem recipiunt, praesertim cum magna educatione non polleant, sicut non raro accidit. Iuvat igitur — ut mihi videtur — eis demonstrare momentum et valorem ministerii quod exercent. Ipsi directe adiuvant sacerdotes ad ministerium proprium salvificum rite et absque nimis preoccupationibus exercendum. Sic et ipsi sacerdotum suum communem speciali modo exercent et veluti actionem et meritum sacerdotum sua faciunt. Conscii debent esse de propria dignitate et de valore laboris quem perficiunt, ita ut aliud non exoptent sed semper magis allicantur ad permanendum in ministeriis quae eis propria et accommodata sunt in quantum sunt providi cooperatores sacerdotum in Instituto religioso clericali. Et ad hoc bene demonstrandum et firmandum proponitur § 2 huius canonis.

22.

CANON DECIMUS PRIMUS

§ 1. Instituta apostolica laicalia, tum virorum tum mulierum, quorum sodales muneri pastorali Ecclesiae adimplendo dedicantur in erudienda iuventute, in aegrotis curandis atque in aliis multiplicibus ministeriis explen-

dis, indolem propriam et spiritum suum servent dum opportunis mediis Ecclesiae necessitatibus et temporum adiunctis sese accommodant.

§ 2. Sodales horum Institutorum qui, ob deficientiam ministrorum sacrorum Ecclesiae, quandoque legitime ministeria quaedam sacra exercere permittuntur, numquam opera propria sui Instituti derelinquant.

Notae:

a) In canonibus praeliminariis secundae partis Schematis Generalis (cf. Relationem Conclusivam Sessionis XIII, Adnexus II, p. I),¹ vestigia sequentes Patrum Concilii (cf. Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 2) et iuxta normas traditas a Summo Pontifice in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* (cf. II, nn. 12-19), regulas generales dedimus circa recognitionem iuris particularis Institutorum perfectionis. Iuxta has normas, sic dicti «Codicis Additicii» remanent sub auctoritate ipsorum Institutorum qui gradatim recognosci debent, secundum necessitates Instituti et Ecclesiae. In canone vero secundo huius Tituli II iterum imponitur Institutis religiosis operibus apostolatus deditis ut fideliter retineant opera propria etsi ea debent accommodare temporum et locorum necessitatibus. Quapropter nescio utrum § 1 huius canonis sit hic necessaria, cum sit quadammodo repetitio. Attamen volui illam hic ponere cum hic agatur de institutis laicalibus in quibus multoties deficit illa profunda et protracta institutio philosophico-theologica quae sodalibus traditur in institutis Clericalibus. Unde periculum imprudentium mutationum, quae possent etiam indolem et spiritum Instituti tangere nec non opera propria, est revera gravius. Sed si hoc Rev.mis Consultoribus Coetus non appareat necessarium absque difficultate admitterem suppressionem § 1.

b) Omnibus notum est instaurationem S. Liturgiae ad mentem Concilii Vaticani II ei novissimas profundas immutationes in disciplina Ordinum qui minores vocabantur simulac penitriam sacrorum ministrorum in pluribus regionibus effecisse ut quae-dam «ministeria», cuius vel absque officiali «commissione», exerceri possint etiam a sodalibus Institutum laicalium et a laicis quoque. Immo ex concessionibus particularibus etiam sorores possent quandoque tabernaculum aperire et claudere et S. Communionem distribuere. Periculum abusus hic exsurgere potest non tantum per exercitium horum ministeriorum absque necessario indulto vel permissione sed etiam quia huiusmodi Fratres vel Sorores, quibus talia ministeria committuntur, animo quandoque extolluntur et nolunt amplius humiliora opera propria Instituti exercere. Et propter hoc motivum adiungitur § 2 huius canonis.

23. Cum noster Coetus Studiorum in hac Sessione examen aggredi debeat canonum qui respiciunt maiorem partem eorum qui Deo sese consecraverunt per professionem consiliorum evangelicorum, humaniter commendo omnibus Rev.mis Consultoribus ut omnibus mediis concurrant ad

¹ Cf. supra, p. 258.

schema canonum conficiendum quod revera aptum et accommodatum sit necessitatibus ipsorum Institutorum et Ecclesiae. Ego et Rev.mi Consultores Parvi Coetus, quibus gratias summas ago, generose adlaboravimus. Sed sincere et humiliter fateor me nimis sentire pondus gravissimae responsabilitatis coram Deo et coram Ecclesia necnon coram iisdem Institutis et ideo cum omnibus carissimis Adiutoribus meis potissimum in hac parte illud dividere vellem. Et intime persuasus sum de magnanima responione et de valido auxilio omnium Collegarum.

Romae, in festo S. Andreae Apostoli
die 30 mensis novembris 1972

Relator

Adnexum II**Tit. II: DE INSTITUTIS RELIGIOSIS OPERIBUS APOSTOLATUS DEDITIS***Can. 1*

§ 1. In Institutis operibus apostolatus deditis, actio apostolica ad ipsam eorundem naturam pertinet. Proinde, tota vita sodalium spiritu apostolico imbuatur, tota vero actio apostolica spiritu Instituti informetur.

§ 2. Actio apostolica ex intima cum Deo unione semper procedat eamdemque confirmet ac foveat.

§ 3. Actio apostolica nomine et mandato Ecclesiae exercenda in communione ecclesiali peragatur.

Can. 2

Opera propria Institutorum fideliter retineantur atque temporum et locorum necessitatibus accommodentur, novis opportunitis etiam mediis adhibitis.

Can. 3

§ 1. Vi propriae vocationis, Instituta operibus apostolatus dedita eorumque sodales, sub ductu proprietorum moderatorum, ad bonum Ecclesiae adlaborare et Episcopos adiuvare tenentur.

§ 2. Episcopi et moderatores, sive singuli sive in coetibus coadunati, collatis inter se consiliis procedant in ordinandis operibus apostolatus quae a sodalibus exercentur.

Can. 4

§ 1. Instituta ius habent opera propria exercendi servatis de iure servandis.

§ 2. Conventiones particulares, ad collaborationem apostolicam ordinandam et fovendam, Episcopi et moderatores pro opportunitate ineant.

Art. I: *De Institutis canonicalibus*

Can. 5

§ 1. Instituta canonicalia sollemniori praecipue cultu laudem divinam agunt atque operibus apostolicis incumbunt sacerdotale officium praesertim in paroeciis exercendo.

§ 2. Ad vitam regularem fovendam eis pro posse paroeciae concredantur quae inter se vel domui principali viciniores sunt.

Can. 6

Congregari possunt sub eodem Praeside plura Capitula canonicorum regularium sui iuris; confoederari autem possunt sub Abate Primate plura eiusdem generis canonicorum Instituta cum beneplacito apostolico.

Art. II: *De Institutis conventionalibus*

Can. 7

§ 1. Instituta conventionalia laudi divinae et regularibus observantiis vitam apostolicam intime consociant atque peculiare austeritatis vitae testimonium praestant.

§ 2. Vitam fraternalm in communi sodales agunt, praesertim in celebratione Eucharistiae et liturgiae horarum, necnon ministerium apostolicum communi studio et sollicitudine prosequuntur.

Can. 8

§ 1. Speciali cura adiuvent Instituta sibi consociata ut genuino spiritu sueae familiae imbuantur.

§ 2. Per proprium apostolatum sodales spiritum Instituti inter christifideles diffundunt praesertim per suas associationes.

Art. III: *De Institutis apostolicis*

Can. 9

§ 1. Instituta apostolica, ad propria ministeria exercenda primario condita, totam suam vivendi rationem ita ordinant ut sodales vitam apostolatui integre deditam agere valeant.

§ 2. Ad mobilitatem apostolicam et sodalium disponibilitatem foven-
dam, ea unitas servetur qua Institutum sub ductu Moderatoris Supremi ad
normam iuris particularis in operibus propriis peragendis expeditum ma-
neat.

Can. 10

§ 1. Clericalia Instituta ministeria sua in sacro ordine exercendo fideliter adimpleant; alia autem opera apostolica nisi sint Instituto propria, defi-
cientibus sacris Ecclesiae ministris, aliis idoneis quoque laicis commit-
tantur.

§ 2. Sodales laici, in his Institutis, vi professionis suae speciali titulo
commune fidelium sacerdotium excentes cum clericis collaborando, ea
prae ceteris assumant officia quae hanc collaborationem foveant.

Can. 11

Laicalia Instituta, tum virorum tum mulierum, per misericordiae opera
spiritualia et corporalia munus pastorale Ecclesiae adimplent hominibus
sque diversissima praestant servitia, quare in sua vocationis gratia fideliter
permaneant.

Adnexum III

ADDENDA AD RELATIONEM INTRODUCTIVAM
DECIMAM SECUNDAM

1. Quando praeparabam canones Tituli II, respicientes Instituta religiosa operibus apostolatus dedita, perspexi, vel potius subsensi, in nostro schemate canonum circa religiosos stricte dictos quamdam adesse lacunam. Nihil dictum est circa elementa constitutiva professionis religiosae et circa vota religiosa. Huiusmodi lacuna causata forsitan fuit ex defectu quodam in Schemate Generali. Pars secunda seu specialis huius Schematis, quae in sexta Sessione nostri Coetus modo tantum generali examinata fuit et modo omnino provisorio approbata, in Sessione decima secunda accuratius examinata et perscrutata fuit (cf. Relationem Conclusivam XII, diebus 22-27 mensis novembris 1971 habitam, pp. 1-11).¹ Tunc, me proponente, «sectiones», quae constituebant divisiones maiores secundae partis, suppressae sunt ut haberetur conformitas cum parte prima Schematis Generalis in qua divisiones maiores constituuntur «Titulis». Insuper «Sectio» videtur denotare tractationem sat extensam, sicut apparebat ex divisionibus Codicis vigentis (cf. Relatio Introductiva Decima, p. 2, n. 4).² Haec mutatio tamen Schema materialiter tantum mutavit, quia Sectiones mutatae sunt in Titulos et Tituli in Articulos.

Divisio haec partis secundae Schematis Generalis praesefert sequentem defectum: *non exhibet unicum fundamentum vel saltem fundamentum hoc clare non appetit*. Prima facie, videretur quod fundamentum divisionis sit «exercitium apostolatus», quia opponuntur inter se Instituta monastica et Instituta operibus apostolatus dedita. Sed exercitium apostolatus vel dedicatio operibus apostolatus non potest constituere bonum fundamentum divisionis in hac parte Schematis Generalis. Imprimis vidimus in ultima Sessione Coetus non omnia Instituta monastica integre ad contemplationem ordinari et plura eorum opera apostolatus vel caritatis christiana legitime assumpsisse (cf. Relationem Conclusivam XIII, Adnexum II, p. 2, can. 3, § 2).³ Praeterea, non solum Instituta religiosa operibus apostolatus dedita ministerium apostoliucm exercent sed etiam — et quidem ex ipsa vocatione et charismate Instituti — illae societates, quae in Codice vigenti

¹ Cf. supra, pp. 125-131.

² Cf. supra, p. 152.

³ Cf. supra, p. 259.

vocabantur «Societas sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis», et in ultimo Schemate approbato in Sessione XII vocatae sunt: «Alia Instituta apostolatui dedita», nempe praeter illa religiosa. Immo etiam Instituta saecularia modo suo apostolatum exercent. Unde clarum est quod aliud fundamentum divisionis inveniri debet, quia secus non posset haberi clara identificatio membrorum divisionis et specificatio diversorum coetuum Institutorum. Rectum non videtur ponere in eadem linea Instituta monastica, instituta religiosa operibus apostolatus dedita, alia Instituta apostolatui dedita et Instituta Saecularia. In hac divisione Instituta monastica et alia Instituta religiosa nimis separantur, cum et prima et altera sint Instituta religiosa dum alia Instituta apostolatui dedita et Instituta saecularia non satis discriminata apparent ab Institutis religiosis. Et id praecise est contra optata horum institutorum.

2. Quapropter, ad res clariores faciendas et ad vitandas difficultates et inutiles repetitiones, vellem imprimis benigno examini et considerationi Rev.morum Consultorum huius Coetus proponere quamdam mutationem in Schemate partis secundae in Sessione XII approbato. Mutatio quae proponitur iam mature ponderata fuit a Rev.mis Consultoribus Parvi Coetus et ab eisdem approbata. Est admodum simplex mutatio quae nullam secumfert specialem difficultatem. En propositio: *a)* omnes coetus Institutorum de quibus agitur in secunda parte Schematis coadunantur in duo genera, nempe: genus Institutorum *religiosorum* et genus Institutorum *quae religiosa non sunt*, quamvis eorum sodales consilia evangelica profiteantur per assumptionem ligaminum quae tamen vota religiosa non sunt. In primo genere — quod in Schemate vocabitur: *Sectio I* — includentur: 1) Instituta monastica, 2) Instituta religiosa operibus apostolatus dedita. Tituli erunt distincti sicut sunt in praesenti Schemate. In secundo genere — quod in Schemate veniet tamquam: *Sectio II* — includentur 1) Alia Instituta apostolica quae religiosa non sunt et antea vocabantur: «Societas sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis», 2) Instituta Saecularia. Etiam in hac sectione duo tituli habebuntur, unus pro qualibet specie, sicut in Schemate approbato apparent. *b)* In Schemate Partis Secundae, approbato in Sessione XII huius Coetus, apparet Titulus V, ubi agitur: «De vita eremitica». Proponitur nunc ut titulus iste e Schemate expungatur et ut addatur unus tantum canon circa vitam eremiticam inter canones praeliminares secundae partis Schematis. Haec propositio approbata fuit a Consultoribus Parvi Coetus post longam discussionem et maturum examen. Ratio propositionis est sequens. In omnibus subdivisionibus secundae partis Schematis constanter

agitur de «Institutis». Unica exceptio est tractatio «De vita eremitica». Unde etiam ratione uniformitatis melius est ut alibi fiat tractatio de eremitis. Sed ratio potior habetur. Eremitae seu anachoretae — praesertim si ad nullum Institutum perfectionis iam constitutum pertineant, sed maneant sub cura et iurisdictione solius Ordinari loci — non possunt constituere Institutum perfectionis. Ut patet ex notione eremitae seu anachoretae approbata in prima Sessione nostri Coetus (cf. Relationem Conclusivam Sessionis I),¹ «institutionalizatio», sic dicta, eremitarum ex ipsa methodo vitae eorum excluditur. Quare, unus canon circa vitam eremiticam erit sufficiens pro requisitis canonicis eius, ut infra dicetur, ubi praescriptum proponetur.

Proponitur autem ut iste canon inseratur inter praeliminaires secundae partis Schematis — et non inter canones de Institutis monasticis, sicut quidam optaverunt — quia hodie compertum est phaenomenon vocacionum ad vitam eremiticam verificari non modo inter monachos et moniales sed etiam inter sodales fere omnium aliorum institutorum perfectionis: immo etiam inter laicos.

Canones iam approbati in praeterita Sessione circa Instituta monastica remanebunt sicuti approbati fuerunt, absque ulla mutatione. Sed, ut iam innui supra, quaedam prescripta generalia de vita religiosa in genere praeponentur duobus Titulis ex quibus Sectio Prima coalescit. Quot debeant esse et quaenam sint dicetur suo loco.

I. SCHEMA EXAMINANDUM

3. En igitur Schema secundae partis quod Rev.mis Consultoribus Coetus examinandum proponitur cum mutationibus iam indicatis et expositis.

PARS SECUNDA SEU SPECIALIS

(*De iis quae singulis institutorum generibus sunt propria*)

- Sectio I: DE INSTITUTIS RELIGIOSIS
Titulus I: De Institutis Monasticis
Art. I: De Monachis
Art. II: De Monialibus

¹ Cf. *Communicationes*, XVI, 1984, 239.

Titulus II: De Institutis operibus apostolatus deditis

Art. I: De Institutis Canonicalibus

Art. II: De Institutis Conventualibus

Art. III: De Institutis Apostolicis

Sectio II: DE ALIIS INSTITUTIS PERFECTIONIS

(vel: DE INSTITUTIS NON RELIGIOSIS)

Titulus III: De aliis Institutis apostolatui dediti

Titulus IV: De Institutis Saecularibus

Notae:

a) Hoc Schema secundae partis, per introductionem duarum Sectionum, praebet insipienti «fundamentum divisionis» clarum et inaequivocabile. Instituta perfectionis in duo suprema genera vel in duas classes dividuntur. Vel sunt religiosa vel non religiosa. Si consilia evangelica profitentur per *vota publica religiosa*, quae ut talia ab Ecclesia agnoscantur, Instituta sunt religiosa stricto sensu et sodales religiosi pleno iure vocantur; *secus Instituta non sunt religiosa* nec eorum sodales inter religiosos adnumerari possunt.

b) Haec divisio occasionem tollit contestationis et lamentationis ex parte eorum quibus non placet ut eorum Institutum «*religiosum*» etiam improprie tantum vocetur. Membra Institutorum, quae sub Titulo III veniunt, et Institutorum Saecularium sua iusta optata adimpta videbunt per nitidam distinctionem ab Institutis religiosis.

c) Propinquitas simul et distantia inter Instituta monastica et alia Instituta religiosa operibus apostolatus dedita clarificantur. Omnia veniunt sub genere Institutorum religiosorum — et in hoc sunt eiusdem naturae — sed in pluribus aliis differunt: fine primario, spiritu proprio, structura, etc.

d) Similiter notae in quibus conveniunt et illae in quibus discordant Instituta inclusa sub Titulus III et IV magis in lucem ponuntur. Societas vitae communis hanc necessario exigunt, dum Instituta Saecularia vitam communem excludunt, apostolatus Societatum vitae communis est plus minusve similis apostolatui Institutorum religiosorum operibus apostolatus deditorum, dum ille Institutorum Saecularium est sui generis et indoli eorum accommodatus. Sed tam Societas vitae communis quam Instituta Saecularia conveniunt in hoc quod non sint nec volunt esse Instituta religiosa.

e) Iam supra expositum est cur in hoc Schemate secundae partis non appareat amplius Titulus V: «*De vita eremitica*».

II. CANONES ADIUGENDI

A) CANON CIRCA VITAM EREMITICAM

4. Cum, ut iam supra dixi, iste canon debeat adnumerari inter «Canones Praeliminares» secundae partis Schematis, oportet ut de ipso sermo fiat primo loco. In adunationibus Consultorum Parvi Coetus quaestio de hoc canone tractata et discussa fuit. Solutio facilis non fuit, sed omnes convenerunt necessarium vel opportunum non esse ut de vita eremitica sermo fiat in quada subdivisione huius secundae partis et minus adhuc ut ei reservetur integer Titulus, sicut in Schemate approbato in Sessione XII factum fuerat. Post alias solutiones inacceptabiles, Consultores tandem consenserunt unanimiter in hoc quod unus tantum canon circa vitam eremiticam formulari debeat qui poni deberet tamquam *Canon Quartus Praeliminaris Secundae Partis*. Animadverterunt quoque Consultores Parvi Coetus in hoc canone non agi, saltem principaliter, de eremitis qui sunt sodales cuiusdam Instituti perfectionis quique ex indulto S. Sedis habuerunt licentiam a Moderatore Supremo proprii Instituti ut vitam anachoreticam agant, sub oboedientia tamen et iurisdictione proprii moderatoris interni a quo vel a quibus pergunt dependere. De istis non est cur loquamur quia ipsi remanent sodales Instituti, in communione, saltem mediante moderatore, cum aliis sodalibus. Quaestio oritur circa illos eremitas qui, vel, relicto proprio Instituto, ad eremum pergunt et nullam amplius relationem retinent cum proprio Instituto vel cum eius moderatoribus, vel ex statu laicali ad vitam eremiticam agendam transeunt. Qui nam est status illorum qui fuerunt sodales alicuius Instituti perfectionis? Per gunt esse tales? Et si illud Institutum religiosorum fuerit, possunt adhuc vocari religiosi? De illis autem qui a saeculo transeunt ad vitam eremiticam, quid requiritur ut recognoscantur etiam externe tamquam profitentes consilia evangelica? Probe notetur quod Patres Concilii bis formam «vitae solitariae» nominant ac si pertineret ad vitam consecratam per professionem consiliorum evangelicorum, etsi nihil aliud circa ipsam faciant (cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, Cap. VI, n. 43; Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 1).

5. Consultores Parvi Coetus tempus non habuerunt hunc canonem communiter formulandi et examinandi atque tandem approbandi sed concordarunt circa elementa quae in canone apparere debent. Ad hoc nempe ut quis eremita vel anachoreta vitam perfectionis vel consecratam agere possit, nonsufficit ut «vitam complete solitariam in quiete et silentio, assidue prece, lectione, labore et alaci poenitentia» agat et «in laudis sa-

crificium offert et arcana foecunditate apostolica Ecclesiam ditat», ut per pulchre describitur in iam citato canone approbato in prima sessione (cf. Relationem Conclusivam primae Sessionis, p. 58).¹ Sed requiritur insuper ut emitat professionem trium consiliorum saltem in manu Ordinarii loci a quo dependere vult; ut vivat in dependentia ab hoc Ordinario tamquam a proprio moderatore et ut vitam agat secundum aliquam regulam ab eodem saltem Ordinario approbatam. Hoc sensu intellecta, vita eremitica agnoscitur et laudatur ab Ecclesia.

Secundum has indicationes ego, infrascriptus Relator, et alii duo Rev.mi Consultores Parvi Coetus conamen singillatim fecimus ad hunc canonem formulandum. Tres formulas unam post aliam hic referam ad hoc ut Rev.mi Consultores Coetus seligant quamnam velint vel melius ex tribus unam meliorem componant.

6. a) *Prima formulatio canonis* (Relatoris):

§ 1. Ecclesia agnoscit et laudat christifideles qui vitam eremiticam vel anachoreticam suscipiunt ut in completa solitudine, in quiete et silentio, assidua prece, lectione et alaci poenitentia laudis sacrificium Deo offrant et arcana foecunditate eamdem Ecclesiam ditent.

§ 2. Ut christifideles huiusmodi iure enumerari possint inter personas Deo consecratas per professionem consiliorum evangelicorum, praeter professionis emissionem, debent vitam agere sub dependentia a competenti moderatore vel saltem ab Ordinario loci et iuxta regulam a competenti Auctoritate Ecclesiae approbatam.

b) *Secunda formulatio canonis* (octavi Consultoris):

§ 1. Praeter haec perfectionis Instituta semper agnovit Ecclesia vitae eremiticae institutum quo Christifideles arctiori a mundo secessu et solitudinis silentio suam in laudem Dei et mundi salutem vitam consecent.

§ 2. Ut iure eremita uti religiosus recognoscatur, tria consilia evangelica voto firmata profiteatur iuxta regulam propriam ab Episcopo dioecesano vel competenti superiore approbatam.

c) *Tertia formulatio canonis* (septimi Consultoris):

Agnoscit praeterea Ecclesia eremitas vitam anachoreticam ducentes, qui tamen propriam vitae rationem sub ductu Episcopi loci habere et servare tenentur.

¹ Cf. *Communicationes*, XVI, 1984, 239.

Notae:

a) Quaelibet formulatio canonis plus minusve praesefert notas concordatas inter Consultores Parvi Coetus, de quibus sermo factus est supra, n. 5.

b) In formula a Relatore proposita, § 1 est partim adaptatio notionis eremitarum seu anachoretarum approbatae in Sessione Prima Coetus, quae supra iam plures citata fuit. In secunda vero paragrapho enumerantur conditiones requisitae et adimplendae ad hoc ut, qui vitam solitariam ducunt, eremitarum vel anachoretarum iure merito vocari possint. Ex proposito non dixi quod anachoreta, adimpletis omnibus conditionibus enumeratis in § 2 canonis, potest vocari *religiosus*. Hoc dependet ex pluribus aliis conditionibus quae non semper vel necessario verificantur. Non videtur necessarium pro eremita ut vota religiosa publica emittat. Potest accidere quod alia sacra ligamina praferantur votis.

c) In formula a Rev.mo octavo Consultore proposita, § 1 non multum differt a § 1 a Relatore praesentata. Forsan melius esset non loqui de «instituto vitae eremiticae» ad vitandam quamlibet aequivocationem. Similiter mihi videtur minus rectum dicere: «Ut iure eremita *uti religiosus* recognoscatur...». Imprimis si consideretur tantum causus quando eremita *uti religiosus* agnosci debet, non video quomodo canon iste inter Canones Praeliminaires enumerari possit. Canones praeliminaires secundae partis resipiunt omnia Instituta perfectionis generatim eorumque sodales et non tantum Instituta religiosa vel religiosos. Deinde non video quare eremita Deo consecratus debeat esse religiosus et vota religiosa publica profiteri. Posset etiam alia ligamina sacra suscipere, ut iam supra dictum est.

d) Formula proposita a Rev.mo septimo Consultore est simplicissima et nullam descriptionem tradit vitae eremiticae vel anachoreticae. Hoc forsitan necessarium non est, sed omissio quaelibet mentionis professionis consiliorum evangelicorum apparat tamquam lacuna sat gravis. Neque defectus mentionis regulae quam eremita habere debet tamquam normam vitae propriae videtur iustificari posse. Videbimus utrum melior quedam formula pro isto canone ex his tribus conaminibus haberi possit.

B) CANONES COMMUNES PRO OMNIBUS INSTITUTIS RELIGIOSIS

7. Tertium principium directivum a nostro Coetu in tertia Sessione adoptatum ita incipit: «Dum *principia constitutiva vitae religiosae clare indicari et firmiter sanciri debent...*». Sed usque adhuc — saltem sufficienti cum claritate et firmitate — huiusmodi principia in Schemate canonum qui iam formulati sunt, non fuerunt indicata vel stabilita. Meo humili iudicio, haec lacuna occasionata fuit ex Schemate adoptato pro secunda parte. Ibidem enim duae maiores categoriae Institutorum religiosorum, nempe Instituta monastica et Instituta religiosa operibus apo-

stolatus dedita, modo coordinato inspiciuntur tamquam duo membra generis supremi, quod constituitur ex omnibus Institutis perfectionis. Ita factum est ut in canonibus, qui praescripta statuunt pro Institutis monasticis et in illis pro Institutis operibus apostolatus deditis, potius considerantur Instituta uti monastica vel uti dedita operibus apostolatus quam uti Instituta religiosa. In duobus namque Titulis in quibus canones inveniuntur pro unaquaque categoria Institutorum religiosorum, consideratio eorum in quantum sunt religiosa supponitur iam facta modo communis pro utraque categoria vel pro utroque ramo divisionis. Et hoc constituit aliud motivum in favorem mutationis secundae partis Schematis modo iam proposito supra.

Oportet igitur nunc dictam lacunam implere. Principia seu elementa requisita status religiosi stricte dicti, seu vitae religiosae stricte acceptae prout in quolibet Instituto religioso agitur, sunt professio trium consiliorum evangelicorum, castitatis, paupertatis et oboedientiae votis firmata iuxta determinationes legitimas iure particulari statutas et vita communis. Haec professio et consequens stabilis vivendi modus quibus sodales, Christum pressius sequentes Deo summe dilecto totaliter dedicantur «ut in eius honorem atque mundi salutem Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo dediti, caritatis perfectionem in servitio Regni Dei consequantur et praeclarum in Ecclesia signum effecti coelestem gloriam praeannuntiant» (Primus canon praeliminaris, § 1, cf. Relationem Conclusivam Sessionis XII, Adnexum III, p. 25),¹ necessario secumferunt quandam a mundo separationem, naturae istorum Institutorum accommodatam, iuxta testimonium quod ipsa eorumque sodales Christo et Ecclesiae reddere tenentur. Alia enim est separatio quae convenit sodalibus Institutorum quae integre ad contemplationem ordinantur, alia quae a ceteris monachis adoptari debet et alia quae consentanea est sodalibus Institutorum quae ex propria vocatione operibus apostolatus dedita sunt. Tandem, cum agatur de iure communi omnibus Institutis religiosis, statuitur ius pro quolibet Instituto religioso habendi propriam ecclesiam vel oratorium, in qualibet domo legitime erecta.

Proponuntur igitur quinque canones communes pro omnibus Institutis et sodalibus religiosis stricte dictis. In primo statuuntur elementa requisita ad vitam religiosam et consequentem a mundo separationem. In secundo, tertio et quarto statuitur quid secumferant vota castitatis, paupertatis et oboedientiae et in ultimo ius pro qualibet domo religiosa habendi propriam ecclesiam vel oratorium.

¹ Cf. supra, p. 173.

8.

CANON PRIMUS

§ 1. In quolibet Instituto religioso tria evangelica consilia in professione saltem definitiva a sodalibus emitte debent voto publico firmata et vita fraterna in communi peragenda est ad normam iuris particularis.

§ 2. Testimonium publicum ab his Institutis Christo et Ecclesiae redendum illam secumfert a mundo separationem indoli et fini cuiusque Instituti propriam necnon signum consecrationis vitae sodalium.

Notae:

a) Quoad necessitatem et locum istius canonis iam dictum est supra. Consultoribus Parvi Coetus visum est magis opportunum ut in prima § elementa requisita statuantur in relatione ad Institutum religiosum, ubi vita religiosa revera dicitur, quam modo speculativo agere de his elementis, sicut quodammodo Legislator fecit in can. 487.

b) Non est necessarium in hoc canone tria evangelica consilia specificare quia hoc iam pluries factum est et quidem iam a primo canone praeliminari totius tractationis.

c) Dicitur in § 1 quod tria consilia evangelica obligatorie observari debent a tempore professionis saltem definitivae, quia per innovationes introductas per Instructio nem *Renovationis Causam* non est amplius necessarium, neque vota emittere ante professionem perpetuam vel defintivam, neque omnia consilia evangelica assumere. In Institutis autem religiosis hoc est absolute necessarium in professione definitiva.

d) Ad praecavendas difficultates et cavillationes vitandas, adiungitur quod vota debent esse publica seu ut talia ab Ecclesia agnita et acceptata. Expressio: «vita fraterna in communi peragenda» substantialiter idem significat ac «vita communis», sed illa magis in lucem ponit exercitium caritatis fraternalae quod est scopus partialis vitae communis. Adiungitur autem «ad normam iuris particularis» quia tam consilia evangelica quam vita communis determinari et melius definiri debent in iure particulari secundum necessitates Instituti.

e) Verba § 2 post explicationem datam clara videntur. Ultima verba: «Necnon signum consecrationis vitae sodalium» significant quod sodales non debent neque possunt, saltem regulariter, suum statum et suam pertinentiam alicui Instituto religioso celare vel abscondere. Hoc prohibet obligatio pro omnibus sodalibus reddendi Christo et Ecclesiae testimonium publicum. Est prudens et moderata indicatio obligacionis pro omnibus religiosis aliquod signum externum preferendi. In eodem sensu loquitur Exhortatio Apostolica: *Evangelica Testificatio*.

9.

CANON SECUNDUS

Castitatis propter regnum coelorum professio secumfert coelibatus simulac continentiae perfectae observantiam qua caritas erga Deum et universos homines magis accendatur et manifestetur.

Notae:

a) Cum iste canon et duo sequentes veniant post canonem primum, non est necessarium repetere hic agi de voto castitatis religiosae et in sequentibus de voto paupertatis et oboedientiae.

b) Votum castitatis non identificatur cum promissione caelibatus ecclesiastici, licet illum abs dubio contineat, sed importat obligationem perfectae continentiae vel castitatis. Accendere autem caritatem erga Deum et homines in animum religiosi, qui professionem emittrit est fructus proprius virtutis et voti castitatis, sicut dicitur in Decreto *Perfectae Caritatis* n. 12: «Cor enim hominis singulari modo liberat, ut magis accedantur caritate erga Deum et homines universos, ideoque est peculiare signum bonorum caelestium necnon medium aptissimum quo religiosi alacriter servitio divino operibusque apostolatus sese dedicent».

c) Occasione arrepta vellem notare quod — si bene recordor — nihil adhuc dictum est de effectibus iuridicis professionis religiosae, sicut factum fuerat in can. 579 Codicis vigentis. Oportet examinare utrum hoc sit necessarium in hac parte. Quoad effectum professionis religiosae relate ad matrimonium subsequens, non appareat necessarium hic quidquam dicere quia hoc apparebit ex determinatione extensionis impedimenti dirimentis matrimonii can. 1073 in iure recognito. Hoc autem facere pertinet ad alium Coetum Studiorum. Eius Consultores attendere debent ut bene definiant utrum impedimentum constituatur tantum professione religiosa stricte dicta vel etiam professione consiliorum evangelicorum in aliis Institutis perfectionis. Vox «religiosus» nunc potest dare locum aequivocationi.

10.

CANON TERTIUS

Paupertatis consilii professio secumfert plenam in usu et dispositione bonorum dependentiam necnon cessionem administrationis et fructuum proprii patrimonii; insuper obligationem importat condendi testamentum, nisi ad normam iuris particularis fiat renuntiatio bonorum patrimonialium acquisitorum et acquirendorum. Quae autem propria industria, stipendio vel pensione acquiruntur Instituto cedunt.

Notae:

a) Propter peculiares difficultates quas votum paupertatis, praesertim post innovationes introductas quoad renuntiationem dominii radicalis etiam in Congregationibus religiosis votorum simplicium et propter abusus qui in hac parte non solum possibles sed et probabiles flunt, formulatio huius canonis post longum examen et plures discussiones inter Consultores Parvi Coetus facta est. Unde Rev.mis Consultoribus Coetus nostri commendatur ut diligenter omnes partes canonis perscrutentur ut nulla relinquatur lacuna in hac materia tam difficulti et delicata.

b) Ut appareat ex canone proposito, professio voti paupertatis plures complectitur obligationes. Maioris momenti forsitan est completa dependentia religisi a voluntate moderatoris in usu et dispositione bonorum. Non potest propria bona — si habeantur — administrare per se sed per alium, nec usufructu uti in proprium commodum. Si bona in re aut in spe habeantur requiritur ut religiosus ante emissionem professionis, vel etiam postea, condat testamentum in favorem illorum quibus vult bona sua relinquere in haereditatem. Hoc tamen non erit necessarium si iure particulari imponatur renuntiatio completa bonorum, tunc evidenter testamentum non erit necessarium. Haec renuntiatio erat obligatoria ante professionem sollemnem ex can. 581, § 1. Sed in hoc canone imponitur renuntiatio bonorum quae «actu» habentur et non eorum quae habentur in spe. Cum hoc possit non paucas difficultates suscitare, in canone proposito magis generaliter dicitur: «nisi... fiat renuntiatio bonorum patrimonialium *acquisitorum et acquirendorum*», Patres Concilii concesserunt Congregationibus religiosis votorum simplicium ut: «suis constitutionibus permettere possint ut sodales bonis patrimonialibus acquisitis vel acquirendis renuntient» (Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 13).

c) Iuxta notum iuris principium: «Quidquid monachus acquirit monasterio acquirit», dicitur in ultima parte canonis: «Quae autem propria industria, stipendio vel pensione acquiruntur Instituto cedunt».

d) Relate ad hanc questionem voti paupertatis et ad eius effectus iuridicos, attendum est fere semper ad praescripta iuris civilis loci. Adjuncta possunt esse valde diversa, praesertim relate ad renuntiationem bonorum, praesertim acquirendorum. Plures legislationes talem renuntiationem non admittunt.

CANON QUARTUS

11. Huius canonis, qui de voto oboedientiae agit, proponuntur duae versiones seu formulationes. Licet Consultores Parvi Coetus concordes fuissent circa necessitatem proponendi canonem circa votum oboedientiae, tempus tamen defuit illum conficiendi et praesentandi. Proinde infrascrip-tus Relator et Rev.mus octavus Consultor suam quisque praesentaverunt formulationem canonis quae infra transcribuntur:

a) *Prima canonis formulatio* (octavus Consultor):

Oboedientiae consilii professio plenam voluntatis secum fert dedicacionem in submissione Moderatoribus Instituti, Dei vices gerentibus, prae-standa; quae Sodalium voluntaria subjectio humanae personae dignitatem non minuit atque personalem erga Sodales auctoritatem et responsabilitatem exigit.

b) Altera formulatio canonis (Relator):

Oboedientiae consilii professio secumfert in sodalibus obligationem ut, exemplum Christi sequentes et in eius nomine, voluntati propriae renuntiant, oboedientiam et humile obsequium moderatoribus Instituti praestantes in spiritu fidei et amoris secundum determinationem iuris particularis.

Notae:

a) Utraque formulatio videtur continere quae necessario in hac parte exprimenda sunt: votum oboedientiae strictam [obligationem] imponit in sodales instituti, ad quem perinent, oboediendi iuxta Regulam et Constitutiones Superioribus suis in spiritu fidei et amoris et tamquam repraesentantibus Dei.

b) Uterque canon suum fontem plus minusve invenit in Decr. *Perfectae Caritatis* n. 14, ubi doctrina circa consilium et votum oboedientiae traditur a Patribus Concilii.

c) Tam in prima quam in altera canonis formulatione fit mentio de submissione vel oboedientia praestanda *Moderatoribus* Instituti. Usus numeri pluralis nullo modo est interpretandus veluti quaedam coherestatio vel approbatio noti experimenti, scilicet institutionis superioris collegialis in communitate. E contra, intentio est ut nullus Superior legitimus, ex pluribus subordinatis qui generatim habentur in Instituto, excludatur.

d) In altera formulatione canonis omessa est secunda pars, quae appareat in prima, quia hoc iam dictum est in canone praeliminari generali quarto, ubi in § 1 dicitur: «consiliorum evangelicorum professio, quamvis renuntiationem secumferat bonorum quae magni aestimanda veniunt, personae humanae vero profectui non obstat, sed natura sua eidem summopere prodest» (Relatio Conclusiva Sessionis XII, Adnexum III, p. 26).¹ Cf. etiam canones «De regimine».

CANON QUINTUS

12. Quaelibet domus religiosa sit legitime erecta et proprium habeat oratorium vel ecclesiam in qua Eucharistia celebratur et asservatur ut sit veluti centrum communitatis.

Notae:

a) Quamvis canon iste videatur agere de materia omnino diversa a praecedentibus, hic tamen ponitur quia continet praescriptum generale pro omnibus Institutis religiosis et difficile est invenire aptiorem locum. Ceterum agitur de iure quod certe silentio praeteriri non potest.

¹ Cf. supra, p. 174.

b) Intentio tamen praecipua inserendi hunc canonem in hac parte exprimitur in ultimis verbis canonis. Domus religiosa non constituitur tantum per aedificium materiale, sed per communitatem quae in nomine Christi est ibidem congregata quaeque vinculum unionis et fraternae caritatis invenire debet in communitaria celebratione Sacrificii Eucharistici et in Sacramento unionis et caritatis inter christifideles et eminenter inter religiosos Deo totaliter dicatos ad perfectionem caritatis assequendam.

c) Cum iam nuper approbatum sit praescriptum in quo statuitur: «Opera propria Instituta ius habent exercendi, servatis de iure servandis», anceps sum num ad hunc canonem propositum quintum adiungi debeant haec verba: «Si Institutum habeat opera propria, haec in oratoriis vel ecclesiis domorum suarum exercere potest ad normam iuris».

Romae, in festo S. Nicolai Episcopi
die 6 mensis decembris 1972

Relator

